



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

a.
Age.

2667.

BALTHASAR KÖPKE
Dialogus
DE TEMPIO
SALOMONIS.



Hic vides, Benevole Lector,

CRUCEM, SOLEM, LUNAS DUAS,
Ficta & Depicta putas in hac Tabula? Erras.
Sic censet de omni re *spirituali & interna*, homo
carnalis, externus, Mundus Fanaticus.

Ecce! Dei Regnum Rerumque Scientia Tota,
Sic latet in Nobis, tanquam *Thesaurus in Agro.*

Nosti, Quis Sis, Fueris, Quisve Futurus Sis.

PECCATOR Natus es, id scio: MONSTRUM HORREN-
DUM, & Ingens, cui LUMEN Ademptum.

TERROR, ANXIETAS & DOLOR Tuum conficiunt Ex-
centrum.

In quo ~~Te~~circumvolvis, ~~Aufertis~~ *animo miser,*
Obscurendo *Centrum* penes Te absconditum.

SOL ORIENS ex ALTO Radios admittit *Fervore* suo
Te *Fervore*,

NUBES Te Septem Tenentes Dissipaturus.

CARO, MONDUS & SATANAS Tui sunt inimici

Stans contra ILLOS, certo fugies; nisi pro Testes
JESUS CRUCI-FIXUS.

In Hoc signo vinctus, hostesque fugabis.

LUNA LUCENS factus, *Forma mutatam* Mundi & ani-
mum mutato.

INCÆPISTI; PROFICE NON DEFICE.

Mutuata, non propria possides bona. Utere non
Abutere.

Oculus enim Domini videt omnia.

Virtutibus micæ seu stellis splendentibus. Atq,
cave,

Ne, sedimentum in fundo habens, illo denuo turberis
Claritatemque amittas.

Tandem Sedimento prorsus deposito NATURÆQUE
SOLARIS

Particeps factus PERFECTUS HOMO in Christo

Per CRUCEM ad LUCEM venies.

Tum opus non habes à *quoquam doceri*,

Unctio enim Te docebit omnia

Et IN LUMINE DOMINI LUMEN VIDEBIS.


Veni, Vide, Vince, Vale æternum, &c.

TEMPLUM
TABERNACULUM SALOMONIS
SPIRITUS. S.

Perfectus

SINE ME
NIHIL

POTESTIS
FACERE




Proficiens

DK

Incipiens





DIALOGUS
DE
TEMPLIO
SALOMONIS

sive de
Tribus sanctorum Gradibus;
nempe
Incipientium, Proficientium &
Adultorum

*Per tria atria Templi Salomonæi ferentia
ad sanctuarium præfiguratis.*

In quo

*Præter alia in Christianismo utilia, horum in
Christo communia atque distincta officia,
pericula, impedimenta & adminicula
ex sacris literis exponuntur.*

AUTHORE
BALTHASARO KÖPKE,
Pastore & Inspectore Nauensi in March.
Brandenburg.



AMSTELÆDAMI,
Apud HENRICUM WETSTENIUM.

M. DC. XCVIII.

**Bayerische
Staatsbibliothek
München**

A & D.

PRÆFATIO

AUTORIS

AD

LECTOREM

BENEVOLUM.



*D*ialogum hunc, L. B. conscripsi ante octodecim annos, non ut ederetur publice, sed ut haberem, in quo meipsum exercerem, & profectus meos in sanctificatione explorarem, in consortio aliquot amicorum, mecum in hoc studio consentientium, & hodiernos seculi mores profanos & corruptos dolentium. Inter hos cum Dn. M. Teuberus, Theologus quondam gravissimus, jam beate defunctus, cum post annos aliquot misisset celeberrimo Theologo, Dn. D. Spenero, cum adhuc Dresda esset; Is

P R Æ F A T I O.

*re deliberata cum veneranda Faculta-
te Theologica Lipsiensi, de edendo
Dialogo meo cogitavit. Interrogatus
ego, num permitterem, quod mihi &
paucis scripserim, publici juris fieri,
 respondi, si quid inde utilitatis Eccle-
sia accedere posse putent, me permit-
tere; Saltem nomen meum plene ex-
primi, eo tempore non consultum mi-
hi videri. Prodiit igitur, DEO an-
nuente, libellus cum Prefatione Dn.
D. Speneri, de Perfectione Christia-
na, approbante Ven. Facult. Theolo-
gica Lipsiæ 1689. Et, DEO bene-
dicente, multis viris piis & doctis pla-
cuit, ita, ut non defuerint, qui de
eo in linguam Germanicam vertendo
consilium ceperint. Sed videntes hoc
quidam invidentes fratrum profecti-
bus, suos negligentes, quibus (ut Au-
gustinus alicubi loquitur) nihil re-
ctum videtur, nisi quod ipsi fece-
rint, de eo supprimendo contrarias co-
gitationes susceperunt, & more seculi
hujus, jam prope finiti, quod displi-
cuit scriptum, Hæresews suspectum &
infame*

P R Æ F A T I O.

infame reddere voluerunt. Inter hos primus Dialogum meum vellicare cœpit Daniel Hartnaccius, in Bibliothecario suo, libro quem edidit in usum studiosæ juventutis, cui Catalogum optimorum in quavis facultate librorum commendare, Autores alios laudare, alios pro lubitu atro calculo notare, & inter hos Capita Doctrinæ Christianæ, excerpta ex Homiliis D. Speneri de veri Christianismi necessitate & possibilitate, meumque Dialogum simul Socinianismi & Arminianismi insimulare conatus est. Huic cum respondisset Dn. D. Spenerus, successit D. Josua Schwartz, qui cum in Homilia quadam super inauguratione cœmeterii cujusdam novi Rensburgi habita & edita, Dialogum meum, cum omnibus eum approbantibus aperte damnasset; Postea in peculiari appendice, Thesin, de mensura Gratiæ sanctificantis sub Novo Testamento abundantiore, quam fuit sub veteri, impugnandam & destruendam sibi sumpsit, docens, eundem

P R Æ F A T I O.

dem sanctitatis gradum utriusque Testamenti fidelibus in Sacris literis tribui, & varia in Dialogo carpens ac rejiciens, velut similia Valentinianorum, Montanistarum, Novatianorum, aliorumque hereticorum assertis, inprimis studium sanctificationis diligentius, quam vulgo placet, Pharisaica Hypocritæ arguens; Atque sic totum Dialogum, una cum vindictis Spenerianis Hartnaccio oppositis evertere voluit. Paulo post, dum in eo sum, ut cum Apologia adversus ipsum in linguam vernaculam translatus prodeat, accessit D. Mayerus, in scripto, quare Theologi non possint cum D. Spenero consentire &c. meum rursus Dialogum, tanquam libellum hereticum, a Spenero commendatum, rejiciens, easdem cum D. Schwartzio accusationes repetens, & alia nonnulla de diligentia in studio Sanctimonie, de apostasias periculo &c. tanquam Papistica, Interimistica & horrenda damnans, cui quantum sufficit, respondi. Tandem post scripta ad se invicem D. Speneri &

P R Æ F A T I O.

& D. Alberti de Gradibus renovationis, Quousque in hac vita pertingere detur &c. vidi quoque D. Carpzovium totam hanc de Perfectione & studio sanctificationis diligentiore doctrinam aperte damnantem, eos qui ad gradus altiores aspirant, omnes promiscue Pharisaica superbia accusantem, & docentem, renatos hic usque ad mortem in perpetuo ergastulo vivere, & luctam spirituales ipsi per totam vitam semper difficilem esse &c. in sermone funebri ex Rom. VII. 22, 23, 24. super obitum B. Dn. M. Wagneri habito & typis excuso. Factum hinc est, ut cum Exemplaria Dialogi mei desiderarentur, & Lipsia omnis spes secunda Editionis mihi adempta, quin eo fere res redacta esset, ut vulgo protinus tanquam erroneum rejiciatur, quod ceu pium commendatur; alibi mihi quarendus fuerit Editor. Quamobrem cum Factores quidam studii sanctimonie & Amici christiani, gaudentes promovere Regnum Dei, & in eo profectus fidelium, mihi

P R Æ F A T I O.

nil tale cogitanti, operam suam ad iteratam hanc Amstelodami Editionem benevole offerrent, lubens secutus sum nutum Dei, eorumque consilium approbavi, quod paucis jam præfari volui. Ut ere, L. B. hac Editione, & æquius judica. Vale.

II. Corinth. VI. 16, 17, 18. & Cap. VII. 1.

Vos estis templum Dei viventis, sicuti dixit Deus. (Lev. XXVI. 12.) *Habitabo & ambulabo* in illis, & ero illorum Deus, & illi erunt mihi *populus*. Ideo *exite* è medio illorum, atque *separemini*, dicit Dominus, & *immundum* non tangite, & ego *excipiam* vos, (Es. LII. 11.) & ero Vobis Pater, & Vos eritis mihi *Filii & Filiae*, dicit Dominus Omnipotens. (II. Sam. VII. 14.)

Cum itaque habeamus has promissiones, Dilecti, *purgemus* nos ab omni iniquatione *carnis & spiritus*, *perficientes* sanctimoniam in timore Dei.

I. N. 7.

I. N. 7.

PROLOGUS

D E

TEMPLO SALOMONIS.

Matthæus & Paulus.

M Atth. Legimus in V. T. quod Deus in populo Israelitico primo tabernaculum Moſis, deinde Templum Salomonis, extruicraverit, quare hoc?

Paul. Hæc allegorice ſignificant duo ſœdera, Vetus novum antecedens, & novum Veteri ſuccedens.

M. Monſtra, quaſo, id breviter?

P. Tabernaculum extructo templo deſiit. Templum in tabernaculo delineatum ad ſimilitudinem ejus extructum eſt: Ira V. T. in N. T.

A 7

com-

completum, & N. T. in V. T. delineatum & fundatum est.

Deinde, Tabernaculum erat mobile & portatile. Templum fixum & stabile: Ita V. T. erat mutabile & abrogandum, N. T. vero est immutabile & perpetuum.

Denique, Tabernaculum ex aulæis & linteamentis, quæ complicari & explicari possent, factum erat, & sic modo stabat, modo non cernebatur. Templum vero ex lapidibus summa diligentia præparatis extructum semper stabat, semper videbatur.

Ita in V. T. Deus colebatur sub involucris externorum rituum. Judæi enim docebantur, quid sibi vellet externa ista, quomodo Messiam futurum respicerent, & sic per exteriora ad interiora, per corporalia ad spiritualia, per visibilia ad invisibilia jugiter manducebantur, subinde relapsi ad corporalia, subinde erigebantur ad spiritualia, ita tabernaculum modo complicatum, modo

do explicatum erat. In N. T. autem Deus coli vult in Spiritu & veritate; ubi pii non semper manu-
 ctione ista pædagogica per externa
 ad interna indigentes in interiori-
 bus & spiritualibus ulterius ducun-
 tur. Legendum itaque imprimis
 esset Novum Testamentum, ubi
 spiritualia, sub umbris V. T. la-
 tentia, egregie explicata, perspi-
 cue tradita, & suavissimis similitu-
 dinibus illustrata, & ad captum no-
 strum accommodata invenimus.

*M. Ergone V. T. plane abolendum
 & non legendum erit?*

P. Non hoc volo, sed ita legen-
 dum, ut per literam V. T. ad Spi-
 ritum N. T. per Historiam ad Al-
 legoriam, Tropologiam vel Ana-
 gogen astringamus. Ita Christus A-
 postoli & Patres primævæ Eccle-
 siæ, præsertim S. Augustinus Enarr.
 in Ps. legerunt & legendum tradi-
 derunt nobis Vetust Testam. *Matth.*
XII. 40, 41, 42. Gal. IV. 21. Quid
 prodest nosse Historiam V. Test. si
 non

non applicemus nobis ipsis? Diabolus melius novit eam, quam ullus mortalium. Sed quid prodest ipsi hæc notitia? Ea igitur quærenda sunt in lectione V. T. quæ Diabolus invenire & consequi non potest, & ex inspectione Tabernaculi discendum, quomodo Templum sit ædificatum, & adhuc ædificandum, & exornandum.

M. *Quid ergo est Templum Dei?*

P. Est Ecclesia N. T. vel *universalis*, vel *particularis*, quæ alias vocatur κατοικητήριον, domicilium in templo universali *Ephes. II. 22.* vel *Cor fidele* à Spiritu S. per verbum DEI illuminatum & sanctificatum, de quo jam nobis sermo est. Sicut enim olim in Templo Deus colebatur, ita etiamnum tali corde illuminato & sanctificato DEO serviendum est. Extra templum omnis cultus erat inanis. Sic, quicquid non fit ex corde, & quidem illuminato & sanctificato, lumine fidei & sanctitate novæ obedientiæ,

dientiaë, id DEO acceptum non est.

M. *At legimus Templum magnificentius, splendidius & perfectius fuisse quam tabernaculum, quid hoc?*

P. Nempe sub N. T. Deus majorem pietatem & sanctitatem requirit, quam sub V. T.

M. *Unde hoc probabis?*

P. Id vero docet Paulus Apostolus passim in Epistolis suis, *Rom. I. 17.* Justitia DEI revelatur in Evangelio, quam implevit Christus. Sed Christi sanctitas in vita, & patientia in morte major fuit quam omnium Patriarcharum, Prophetarum & Sanctorum V. T. sanctitas & patientia. Christus enim doctrina & vita sua explicavit & implevit Legem, & in Lege, justitiam DEI, quam nemo recte intelligere potest, nisi respiciat perfectissimum exemplar Christi. Nemo implere potest, nisi perspecta justitia DEI rigidissima, confugiat ad sanctissimam Christi obedientiam

tiam & per fidem in Christum impetret remissionem peccatorum & Spiritum S. ad novam obedientiam. Unde notanter dicit S. Paulus *Rom. III. 25, 26.* Christum propositum esse nobis ad Deum per preces accedentibus *propitiatorium*, respiciens ad arcam foederis & aureum super eam propitiatorium, huc enim omnes orantes respicere & hinc sibi precum exauditionem promittere debebant. Sic nos in N. T. ad Christum semper respicere & propter eum nobis propitium fore Deum, credere & sperare debemus, *PER FIDEM IN SANGUINE IESUS Rom. XIII. 11. &c. Heb. I. 2.* Docet Christus abundantio-rem requirens justitiam *Matth. V. 20.* Si vero vis tibi monstrari, considera mecum *Gal. IV. 1. Dico autem quamdiu haeres INFANS est*, non differt à *SERVO &c. v. 3.* Sic & nos cum essemus *INFANTES &c. v. 6.* quoniam vero estis *FILII*, misit Deus *SPIRITUM FILII sui in corda ve-*
stra

stra clamans Abba PATER. v. 7.

Ut non amplius sit SERVUS sed FILIUS. &c. Nota hic (1) In V. T. fuere *υἱοί* Infantes. In N. T. sunt *υἱοί* filii adulti. Plus autem requirimus ab adultis quam ab infantibus. (2) In V. T. misit Deus prophetas *servos* suos, qui attulere servilem seu Pædagogicum Spiritum, unde pii vocantur servi DEI. In N. T. misit filium, qui attulit Spiritum filialem *Rom. VIII. 15.* Unde pii vocantur filii. Plus autem requirimus à liberis, quam à servis, aut pueris sub Pædago. Sic Deus in N. T. *majorem requirit fiduciam.* Servi dicunt: Domine, & non audent propius accedere. Filii clamant: Abba, mi Pater, & confidentius accedunt. Deus requirit *majorem obedientiam.* Servi obediunt Spiritu quodammodo coacto, spe præmii & metu poenæ, agentes, si hoc non esset, non obedirem. At filii obediunt Spiritu liberiore & spontaneo ex amore ingenito erga Pa-

Parentes, dicentes, etsi nil foret vel sperandum, vel metuendum, tamen obedirem, quia nil decen-
tius, nil delectabilius, quam filios amare Parentes, iisque obedire. Ser-
vi ergo & pueri in obediendo po-
tissimum alliciuntur saccharo *utili-
tatis*, Adolescentes vero ingenui
decore *honestatis*, qualis obedientia
& liberalior est, & gratior. (*Dignæ
Domino.*) Col. I. 10. Phil. I. 27.
I. Thess. II. 12. Joh. XV. 14. *Vos
amici mei estis, si faciatis quæ vobis
præcipio.* v. 15. *Non amplius vos voco
servos, quia servus non scit, quid fa-
cit ejus Dominus. &c.* Nota, in
V. T. pii dicebantur *servi*, in N.
T. *Amici*. Cum amicis familiarius
loquimur quam cum servis, ergo
ab iis majorem amorem, fidem &
diligentiam expectamus, intima
enim cordis ipsis aperimus, & ma-
xima negotia iis committimus. Ita
Christus majorem à nobis amorem,
fidem, integritatem, prudentiam
& diligentiam requirit. Summa:
cui

cui plus commissum est, ab eo plus reposcitur. Piis N. T. plus commissum. Ergo Salvator noster plus requirit. Data est *major gratia Revelationis*, ergo requiritur *major agnitio DEI*. Concredita sunt nobis maxima Mysteria, ergo requiritur maximum studium ea rite discendi. Id innuit Salvator dicens: Joh. Baptistam esse maximum inter Prophetas V. Test. *Matth. XI. 11.* Sed Minimum Ministrum in Regno DEI N. T. fore *majorem Joh. Baptista*, sc. quod attinet cognitionem Mysteriorum. Data est *major gratia sanctificationis*, II. Pet. I. 3. 10. Ergo major requiritur diligentia in studio sanctitatis. Heb. VII. 19. *nil enim perfectum reddebat lex, sed introductio MELIORIS SPEI per quam Deo APPROPINQUAMUS.* En! sub N. T. habemus *melio-rem spem*, sc. illam, ad quam respiciebant p̃i V. T. Quod enim illis promissum, id nobis exhibitum est. Ergo major à nobis requiritur prudentia,

dentia, vigilantia, abstinencia, patientia, & constantia. Nobilior gemma diligentius custodienda. Et quis propter Margaritam pretiosiorē majores labores suscipere, majora pericula subire detrectaret? sub N. T. *propius accedimus* ad ignem Amoris divini, cum pii V. T. remotius steterint. Ergo magis incalescamus amore DEI & majora propter Deum perferamus. Considera Paulum, qui majora perpessus quam Jobus. *Hic* saltem 7. *ille* 27. annos afflictus est. Patientia Pauli major fuit, quam Davidis. Hic enim vel tredecies in Psalterio lamentatus est, Domine quousque. Ille saltem ter rogavit Dominum pro auferendo stimulo, admonitus acquievit & fortiter tulit. Breviter, in N. T. major apparuit Gratia DEI, ergo major à nobis requiritur gratitudo. An adhuc dubitas quod major sub N. T. requiratur pietas & sanctitas?

M. *Videtur inde sequi, quod pii*
V.

V. T. non fuerint sancti, non accesserint ad Deum?

P. Minime id sequitur, sed hoc saltem quod non fuerint tam sancti, non tam prope ad Deum accesserint, ac pii N. T. possunt. Non loquor de Luminibus V. T. Patriarchis & Prophetis sanctis extraordinariis, sed de piis ordinariis, in quibus multa tulit, ut cordis duritiem, quam in N. T. jam non fert Deus. Cogita hoc, Deus noster est ignis consumens. Nemo peccatorum ad ipsum accedere potest, nisi peccatis purgatus. Pii V. T. ad Deum accedere, sed remotius stantes, propter multas ignorantias & infirmitates, Act. XVII. 30. Rom. III. 25, 26. quas Deus ante expiationem Christi tulit, post eam ferre non vult. Pii N. T. propius accedere possunt ad Deum magis purgati à peccatis, quia Deus melius quid ipsis reservavit. Hebr. XI. 40. Deus est sanctissimus. Quo quis propius ad eum accedit, eo sanctior sit oportet.

M.

24 PROLOGUS

M. Miror, si hac ita sunt, ubi jam invenies pium N. T. In plerisque vix pietatem V. T. videmus. Sed unde istud probas, quod pii N. T. propius ad Deum accedere possint?

P. Considera mecum loca Hebr. IX. 7. 8. X. 19. XII. 18. 29. His perpenſis patebit, quod Sacerdotes V. T. non potuerint ingredi Sanctum Sanctorum, nisi solus Pontifex, at sub N. T. omnes id ingredi possunt, hoc est propius ad Deum accedere, & in sanctificatione ulterius duci. Christus enim justus & sanctus non nisi justos & sanctos in consortium suum recipit & sibi propius adjungit. Pergant igitur in sanctificatione cum timore Domini, II. Cor. VII. 1. qui volunt sanctuarium ingredi.

M. Nondum intelligo, quomodo in sanctitate pergere, quomodo sanctuarium ingredi possimus. Sanctitas in nobis alia nulla est, nisi Christi per fidem imputata?

P. Erras, præter hanc requiritur

tur sanctitas vitæ novæ in nobis inchoata, & hanc, dico, esse continuandam & consummandam seu perficiendam. Id innuit Spiritus sanctus vocabulo *perfectus*, quod Apostolis usitatissimum est, inculcantibus Sanctimoniam continuationem.

M. Concedo hac faciendam, sed obstat caro concupiscens adversus Spiritum & impediens continuationem.

P. Carnis concupiscentiæ crucifigendæ, mortificandæ, corpus peccati abolendum, obstacula omnia sunt perrumpenda, & sic peragendum in via sanctitatis.

M. Quomodo id possibile?

P. Per Spiritum S. Anne DEUS major est corde nostro? Annon spiritus, qui concupiscit & luctatur adversus carnem, idem & vincere eam potest?

M. Immo fides est victoria nostra, qua vincimus mundum, dum victoria Christi nobis imputatur?

P. Ita putatur. Sed anne victoriæ

B

riæ

riæ Christi particeps erit , qui victorem non sequitur in via sanctitatis ? Ipse vicit , ut tu vincere possis. Quid prodest pugnare si non vis vincere ? Putative pugnas, putative vincis. Nunquam credidero Diabolum & mundum te dimissurum, nisi vere viceris virtute Christi. Fides vera non solum consistit in imputatione mortis Christi ad expianda peccata præterita, sed & in *communione* mortis Christi, ad expurganda præsentia & futura, jubet enim fides cum Christo mori peccatis & resurgere Justitiæ, excutere jugum servitutis peccati, & servire justitiæ, cujus servitii fructus est sanctitas. *Rom. VI. 22.* Liberari autem à Dominio peccati, quod non imputative sed vere fieri debet in cordibus nostris, est vincere Mundum & carnem. Et hanc victoriam sequitur servitus justitiæ, teste Paulo, & sanctificatio. Per fidem justificamur, per bona opera, cœu fructus fidei efficacis

cacis (*operantis*) sanctificamur. Oportet autem conjungere articulos hos præcipuos de Justificatione & sanctificatione, ut Paulus facit in omnibus Epistolis, si velimus addere tertium de glorificatione.

M. Ista non nego. Sed hoc saltem quero, quomodo inter tot impedimenta carnis, in tanta imbecillitate humana possumus in sanctitate pergere, adeo ut ipsum sanctuarium, ut supra dixisti, ingrediamur?

P. Sentim & gradatim. Neque enim in Templum nisi per gradus ascendere quis poterat. Habebat Templum tria atria, uti notum, per quæ ad sanctuarium ingrediebantur Sacerdotes. Sic tres potissimum gradus sunt sanctorum, nempe incipientium, proficientium & adulatorum, per quos anima sanctificanda ascendit, antequam in Sanctuarium intromittatur, & gustu æternæ felicitatis, aliisque intimæ amicitiae signis a Salvatore optimo exhilaretur. Hos, si placet,

cet, breviter recensebo, pro viribus à DEO concessis. Præstat interim beatitudinem sanctorum in corde experiri, quam verbis prolixis describere.

M. Id pervelim audire, sed prius describe quaeso, eos, qui sunt extra templum, ut possim dignoscere ab iis, qui sunt intra. Difficile & operosum est jam sanctos à profanis discernere, cum ultima nox mundi supervenerit, & in tenebris facile lolium pro tritico aspiciamus.

P. Fiet, Spiritu Domini auxiliante. Amen.

PARS

P A R S I.

De iis, qui sunt extra
Templum.

C A P. I.

De iis, qui remotè extra.

Aulus. Multi audientes, impios & incredulos esse extra Ecclesiam & consortium Christi, putant, Turcas & Judæos, seu alios indigitari, qui publica nostra Confessione & ritibus non utuntur, cæteros omnes qui cultum publicum recipiunt, includunt, & neminem eorum, quomodocunque vivat, damnandum esse censent.

M. Id expertus sum in vitâ communi, cum exequiæ fiunt, nefas ducitur, quempiam, etsi turpissimè vixerit, damnare velle.

P. Ideoque distinguendum puto inter eos qui sunt remote, & qui sunt propinque extra templum. Illos olim Hæreticos, hos malos Catholicos vocabant, utrosque à confortio Christi excludebant. Quis enim crederet, profanas & impuras animas, qui purgari nolunt, in Sacrarium Christi recipi? Cum Judæi olim profanarent templum impios admittendo, maluit templum potius relinquere & vastandum tradere, quam impuros admittere. Quam vereor, ne idem nobis eveniat, vel ex parte jam contigerit!

M. *Sed cur sic distinguis? Annon experientia teste, ii qui videntur remotiores esse, propiores DEO sunt, quam qui videntur propinqui. Considera Judæos & Gentes. Proximus Ecclesia semper vult ultimus esse.*

P. Opportune mones. Ideoque propter opinionem vulgarem ita distinguo, non quod alii alii sint, sed vulgo habeantur remotiores à templo DEI.

M.

M. Fortasse alludis ad Reginam Austri, qua mota Templi & Regis Salomonis fama, ab extremis terra finibus venit Hierosolymam, & Templum, magna aviditate & admiratione vidit, quod tamen civibus ceu quotidianum forte jam tum viluerat.

P. Ita est. Fuit illa remote extra templum. Reges Moabitarum, Ammonitarum & Edomitarum fuere quoque remote extra templum.

M. Sed illa venit, Horum aliqua non leguntur venisse.

P. Bene. Est ergo diversitas inter hos qui remote sunt extra. Fama Evangelicæ veritatis in toto mundo est sparsa. Quidam audiunt & contemnunt, Idololatræ suæ templa præferentes & blasphemantes eos, qui proficiscuntur ad templum DEI, ut olim Samaritæ aliæque gentes. Quidam audiunt & negligunt, proficiscentes non prohibent, sed tamen nec iis se adiungunt, sed pergunt in viis Patrum

fuorum, etsi meliores esse vias ad DEUM veniendi non ignorent. Quidam audiunt famam, & veniunt, nullis neque sumptibus, neque viæ difficultatibus & periculis absteriti.

M. Putasne id omnibus omnino convenire ut ita veniant? Multi nesciunt, an veri quid subsit. Multi itineris incommoda respiciunt. Annon illi excusationem habebunt, quod templum DEI non quaesierint, nec invenerint?

P. Nullam. Erunt sine defensione, quia DEUS famam templi sui ad illorum aures pertulit, quam, si salutis suæ cupidi fuissent, ulterius indagare, indagando Templum quærere, quærendo invenire debuissent. Hoc qui faciunt, ad agnitionem veritatis perveniunt, & ex remotis fiunt propinqui.

CAP. II.

De iis, qui sunt propinqui, & nihilominus extra.

MAtth. Legimus in gratiam exoticarum Mulierum, quas Salomon matrimonio sibi iunxerat, delubra quaedam extra urbem extructa esse, quare hoc? Annon potnere Templo sui?

P. Id est, quod dixi. Regina Austri veniebat ab oris remotissimis & quærebat ac diligebat templum. Conjuges hæ Salomonis quotidie in urbe habitabant, quotidie templum videre poterant, & non ingrediebantur sed fastidiebant. Ut enim hæ, neglecto templo DEI, alia templa extrui sibi curarunt; Ita multi juxta vanitatem mentis suæ aliud templum sibi ædificant, aliud Evangelium, aliam Christum, qui cum Mundo consentit, sibi comminiscuntur, aliam pietatis

4 B. 5 viam.

viam laxiorem sibi fingunt, & veram illam, quam Christus docuit & exemplo suo monstravit, tanquam nimis duram & rigidam, imo stultam & absurdam rejiciunt. Nil ineptius & absurdius his hominibus videtur, quam exemplo Christi, omnia Mundana flocifacere, & injurias ac ignominiam patienter ferre? Atque hi ipsi proximi sæpe habentur, cum tamen remotissimi sint à templo DEI, quod ipsi non intrant, & alios ingressuros arcent. Per hos via veritatis blasphematur. Præterea annon audis, quantopere se Christum amare jactent, perinde ut mulieres illæ exoticæ Salomonem? Sed amor est meretricius, non castus, quærens sua, non quæ sunt Christi, nempe lucrum, commodum & honorem suum, non Christi, qui ob id olim dicit: Non novi vos.

M. Sed numne putas inter proceres Aula & cives quosdam fuisse, qui prope templum habitantes raro vel fastidio, e illud intraverint? P.

P. Id vero minime dubium est, cum Spiritus S. toties in Sacris queratur de contemptu & neglectu Templi. Vix ædificatum erat, cum negligeretur, & ob id spoliaretur thesauris & ornatu suo, nempe scutis aureis cui ænea successerunt

H. Par. XII. 9. Et quoties legimus, illud deinceps collapsum, restauratum & iterum collapsum esse, donec Deus gratiosam suam præsentiam penitus subtraxit, quod abunde testatur de negligentia civium. Hoc primis temporibus factum est, quid non postremis factum, ubi viæ ad Domum DEI plane desertæ & ignotæ fuere, & admodum pauci, qui eas invenerunt & ambularent. Eandem sortem experitur sub N. T. studium pietatis veræ, quod primis annis *aureum* fuit, postremis *luteum*, imo nullum est.

Dan. II. 43.

M. Ergone putas Sanctiores olim fuisse in Ecclesia Christianos, quam nunc sunt?

P. Docent id scripta Apostolorum & Patrum Ecclesiæ.

M. *Num existimas Christianos olim ita vixisse, ut Apostoli & Patres scripserunt? Videmus jam multos utilissimos de pietate libros. Sed quis credit Autores ita vivere, ut scribunt?*

P. De his nil attinet judicare. At de illis nempe Apostolis & primis Christianis plane ineptum est istud cogitare? Nisi ita vixissent ut scripserunt, quomodo Veritas Evangelica penes ipsos constitisset, quomodo credidissent Christiani Apostolis præcipientibus ea, quæ nemo præstare possit? Quomodo imitati essent Christum, qui nil docuit, nisi quod ipse fecit? Apostoli nil nisi quod necessarium & utile fuit ad salutem, tradiderunt. Indicat id eorum brevitās in scribendo. Non enim ingentia volumina, sed breves epistolās scripserunt, in quibus, rejectis supervacuis & inutilibus, necessaria saltem & utilia breviter monstrarunt, ut
eo

eo felicius & facilius retinerent & observarent Christiani conversi, quibus sciebant communicatum esse Spiritum S. qui ista breviter scripta intus in corde docebat recte intelligere & vitâ exprimere. Nec indigebant prolixis vocabulorum explicationibus, qui rem ipsam in corde experiebantur & exemplo suo aliis monstrabant. Quomodo Apostolorum verba intelligenda, id exemplis & vitâ suâ explicabant Christiani. Necessaria & utilia saltem tradiderunt Apostoli. Nisi igitur omnia ab Apostolis præcepta (i. e. totam eorum doctrinam) observassent, quomodo salvati essent? Satis fuerit nostris temporibus pro dolor! perniciosissimum hunc errorem obtinuisse, non omnia, que in Sacris & præprimis in N. T. traduntur, observatu necessaria, neque possibilia esse propter humanam imbecillitatem. Annon summa impudentia est, eundem errorem quoque Ecclesiæ agninae primis temporibus

impingere? Quasi & illi, perinde ut nos, templum DEI neglexerint & oscitantes in sanctificatione fuerint?

M. *Sed quid de civibus templum negligentibus sentis?*

P. Videntur non uno id facere modo. (1) Quidam templum admirantur & laudant, sed prætereunt ad negotia sua domestica. Ita sunt, qui studium pietatis laudant in aliis, sed non inchoant ipsi. Huic oscitantiae prætexunt necessitatem quandam negotiorum secularium, non discernentes minus & magis necessaria, & in cura corporis toti rejiciunt animæ curam usque in extremum vitæ terminum. (2) Quidam otiosi astant, exterius aspicientes templum & aliis ejus pulchritudinem narrant, quam ipsi non viderunt, sed à videntibus acceperunt. Ita sunt, qui Doctrinam veræ pietatis urgent, sed ex aliorum libris & eruditis scriptis confarcinatam, non propriâ experien-
tia

tiâ è Sacris literis à Spiritu S. edo-
ctam. Plittaci, aliorum verba imi-
tantes. Dicentes, non facientes.
(3) Quidam proxime ante fores
templi consistunt, templum non
ingrediuntur. (*Act. III. 2.*)

M. *Forſan putas claudum iſtum, qui ante portam templi, que vocabatur ſpecioſa, jacens, ſtipem ab ingre-
dientibus petebat, & à Petro & Jo-
hanne Apoſtoliſ in templum aſcenden-
tibus ſanatus eſt?*

P. Recte conjicis. Mendicus ille
non ore, ſed pedibus claudus erat.
Ita multi os habent garrulum de
pietate, pedes vero claudqſ. Viam,
quam aliis monſtrant, ipſi non am-
bulant. Mendicus ille non ſanita-
tem petebat ſed eleemoſynas. Sic
multi in ſacris literis quærun-
t ſanitatẽ mentis depravatæ, ſed
oblectationem Phantaſiæ in varie-
tate phraſium & vocabulorum, &
variantibus ſuper ea Interpretum
ſententiis. Multi à DEO petunt
non ſpiritualia, ſed terrena, non ſa-

salutem æternam, sed temporalia commoda. Quale enim est cor, talis est thesaurus, quem in S. literis apud DEUM quæris. *Cor carnale quarit carnalia, Spirituale Spiritualia. Illud ubique temporalem felicitatem promissam intelligit, vitam, scilicet, sine laboribus, molestiis, adversitatibus, inter amicorum applausus & convivia in hoc mundo transigendam, & postea æternam beatitudinem; Hoc à corporalibus ad spiritualia, à temporalibus ad æterna elevatur, & inter hostes, persecutiones & tentationes, in patientiâ æternam felicitatem expectat. Illud, quoties Scriptura meminit gaudii, imaginatur sibi carnale: Hoc intelligit Spirituale. Qualia cor sapit & redolet, talia in Sacris quærit, intelligit & à DEO petit.*

M. *Et hos, qui sic carnalia quarunt & petunt, etiam extra Templum collocas?*

P. Quidni? Spiritualia enim ne-

nesciunt & negligunt. Et quod maximum est, eo loco quærent carnalia, ubi non nisi spiritualia quærenda sunt. Verba Scripturæ sunt verba sanantia, qui his non utitur ad sanandum animum corruptum, sed ad pascendam curiositatem inutili supervacuarum rerum scientiâ, is abutitur, & abusu isto adeo corrumpitur, ut vix sanari queat, nisi superveniat peculiaris gratia DEI. Vides claudum hunc proxime assidentem templo. Sed, nisi per miraculum à Petro sanatus fuisset, nunquam introiisset templum. Sic, qui omnium proximi videntur templo DEI, omnium minime ingrediuntur, & qui videbantur remotissimi & ultimi, fiunt primi.

M. *Mirum ergo non est, quod ipse Salvator Reginam Austri tanquam exemplum diligentis in quærenda veritate, sc. eâ, quæ est secundum pietatem, commendavit. Sic multi venient ab oriente & occidente, ab Aquilone*

quilone & meridie, i. e. à remotissimis mundi plagis, & regnum DEI ingredientibus cum Abrahamo & ceteris piis accumbent, filiis regni exclusis, qui putabant regnum ad se solos pertinere, & regno proximi videbantur.

P. Bene. Ac id quidem inde, quia, quod *hi* contemnunt, *illi* magnificiunt; quod *hi* fastidiunt, *illi* desiderant. Esurientes DEUS implet bonis suis; Divites dimittis inanes. Videndum ergo, ne maneamus extra templum cum incredulis & profanis, contemnentibus & negligentibus, sed cum sanctis & piis illud ingrediamur. Foras enim sunt canes, profani & qui diligunt & faciunt mendacium: Intus vero Sancti, quos Sanctissimus Salvator in consortium suum recipit, & ulterius semper sanctificat. Ipse enim est *sanctificans*, pii *sanctificati*. Hebr. II. 11.

CAP. III.

Quid sit ingredi templum?

Matth. Cum non solum inter eos, qui verbi famam, sed & inter eos, qui verbum ipsum audiunt, multi maneat extra templum, relinquitur paucissimos ingredi templum & ad veram cordis sanctimoniam pervenire.

P. Ita est. Pauci sunt vere pii.

M. Sed annon in DEUM & proximum injuriosi, & Pharisaicâ superbiâ turgidi sunt, qui veram pietatem ad paucos restringunt?

P. Id vero non crediderim, cum istam paucitatem doleant, omnibus gustum bonitatis divinæ exoptent; ut se allectos sciunt, ita & alios omnes ad DEUM allici cupiant & id doceant, quod ipsa docet veritas, summam hominum malitiam deplorans; nempe, multos vocatos; sed paucos electos esse, eo quod plurimi vocatorum venire nolint

nolint ad Sanctuarium DEI. Malo igitur cum paucis templum ingredi, quam cum multitudine contemnentium illud præterire, vel obiter saltem intueri.

M. *Quid est templum ingredi?*

P. Templum est cor nostrum. Templum ingreditur, qui cor suum ingreditur; qui oculos suos avertit ab aliis, convertit ad seipsum; qui desinit judicare alios, & incipit examinare & judicare seipsum. Multi enim multa sciunt, seipsos-nesciunt.

M. *Fortasse innuis tritum istud: nosce teipsum?*

P. Idem innuunt Sanctissimi Apostoli: *quilibet sibi ipsi invigilet, opus proprium probet.*

M. *At hoc est difficillimum. Plerique enim totam vim animæ in sensibus externis gerunt, in alienis oculatis, in propriis caci; facilius aliorum notant errata, quam sua. Atque hæc à teneris ita consueverunt. Difficile est corrigere consuetudinem, & animum ita dispersum recolligere in semetipsum.*

P.

P. Fateor, animum multorum habitare extra se, non intra se, & difficile esse mutare habitationem: sed nisi mutarit quis, & ad se redierit, nunquam perveniet ad DEUM. Non enim ad cognitionem vivam & veram DEI, nisi per cognitionem nostri ascendimus. Cognoscere seipsum, est inter ea, quorum principium grave, medium leve, finis jucundus est.

M. *Hoc fecere sapientes Ethnici, qui tamen templum vera pietatis non ingressi.*

P. Bene mones. Ideoque non simpliciter impossibile est. Scias igitur, quod templum ingrediatur, qui primo revertitur ad seipsum, deinde pergit ad DEUM, & animum ab humanis ad divina, à corporalibus ad spiritualia, à visibilibus ad invisibilia, à terrenis ad cælestia, à temporalibus ad æterna paulatim erigit. Christianorum vere piorum est, corda sursum habere, ea quæ supra sunt animo agitare, ea quæ

*qua supra sunt querere, non respicere
visibilia sed invisibilia. Ea quæ in
templo DEI reperiuntur sunt supra
mentem, supra rationem & supra om-
nem comprehensionem.*

CAP. IV.

Quomodo ingrediamur.

MAtth. *Antea difficilia, jam pla-
ne impossibilia requiris. Quo-
modo igitur ingredi possumus in tem-
plum DEI?*

P. Non solis naturæ viribus, sed
gratia DEI præveniente, præpa-
rante, ducente & perducente. In-
gredimur luce verbi, duce Spiritu
Sancto. Ingredimur per pias medi-
tationes verbi divini, in quibus
Spiritus S. animum nostrum è car-
nalibus ad Spiritualia, à tempora-
libus ad æterna elevat. Alioqui sicut
piscis supra aquas caput suum raro
exerit, sed in aquis tanquam in pro-
prio

prio elemento manet; & in fundo libentissime hæret; Ita animus humanus ad ea, quæ sunt extra Sphæram hujus mundi visibilis, hujus seculi, cogitationes non potest attollere vel extendere. Ut pisces circumnatant in aqua; Ita cogitationes animi humani circumvolant in rebus hujus mundi. Ut pisces quærunt nutrimentum in fundo; Ita cogitationes humanæ oblectamentum in mundo. Extra aquam si conspicias pisces, vel sunt grandiores, qui quandoque subsiliunt, mox renatantes; vel sunt mortui, qui non possunt amplius natare & nullius sunt usus. Ita cogitationes mere humanæ ad divina & æterna quandoque extensæ, vel statim relabuntur vel absorbentur. Quis enim potest æternitatem animo suo comprehendere?

M. Videmus tamen pisces vivos aquis extrahi & hominibus usui esse.

P. Ita Spiritus S. hamo verbi extrahit cogitationes nostras è mundo, atque

atque tunc in divinis utiliter versantur. Divina enim omnia sunt supra captum humanum; ad ea mens humana sine lumine Spiritus S. & adminiculo verbi divini assurgere non potest.

M. *Quid ais? Anne Sapientes Ethnici de divinis & aeternis Meditationes suas reliquerunt? Unde patet ipsos potuisse cogitationes etiam ad divina & aeterna extendere, quamvis non habuerint lumen Spiritus S. & verbi divini?*

P. Lumen naturæ habuerunt, sed non omnes, saltem sapientes. Per lumen naturæ intelligo reliquias quasdam imaginis divinæ in animo collapsæ. Olim erat lux plena & rectitudo perfecta in animo nostro ad imaginem DEI creato: Jam per lapsum suecessere prohodolor! tenebræ & depravationes horrendæ. Sed inter eas latent adhuc quidam igniculi in intellectu ad discrimen honestorum & turpium, ad argumentationem à bonitate &
Sa-

Sapientia Creaturarum ad bonitatem & sapientiam Creatoris. Latent adhuc quidam stimuli in voluntate ad honesta & recta instigantes. Unde oriuntur nonnunquam in animo cogitationes se accusantes & excusantes, tædium præsentium, & desiderium futurorum, etiam æternorum. Omnes volunt finem, nempe æternam beatitudinem. Pauci volunt, imo paucissimi quærunt & inveniunt media ad finem istum ducentia. Maxima pars mortalium obruit & sepelit igniculos & stimulos istos in animo reliquos otio & deliciis, vel curis hujus seculi. Unde plurimi inter Ethnicos fuere, ut etiamnum sunt plurimi, (*ἀθεοί*) *sine Deo*. Quotquot vero inter sapientes Ethnicos diligentia sua, excussis tenebris & vitiis crassioribus, ad lumen illud naturæ pervenerunt, idque excoluere studiis & moribus honestis, cogitarunt quidem de DEO & æternitate, sed cogitarunt *vel falsa & inutilia*; Cogitationes

nes eorum sunt pisces mortui, commenta putida, *Desipientes facti in cogitationibus; Vel si vera & utilia, tamen insufficientia*; Lumen naturæ ad templum quidem manuducere, in templum vero introducere, & ad DEUM ejusque sacrarium sine lumine Spiritus perducere non potest. Voluerunt quidem per scalam Creaturarum ad Creatorem ascendere, sed quia scalam simplicem verbi divini & Spiritus S. contemplerunt, propria sapientia turgidi, propriis viribus confisi, ideo relapsi sunt, sicut piscis extra aquas subfiliens. Relapsi sunt ad gloriam propriam lumine naturæ & cognitione sua abusi, DEUM non ut DEUM glorificarunt, non DEI, sed propriam laudem in mundo quæsi-
runt. Lumini ergo naturæ lumen gratiæ addendum, ut animus de divinis vera & utilia cogitare, & DEUM glorificare possit.

M. *Gentiles falsa de DEO meditata esse non est mirum, quia con-*
temp-

tempserunt verbum DEI & lumen Spiritus Evangelici: At nostrates habent verbum DEI & Spiritum S. cum Evangelio, & tamen eorum plurimos dicis extra Templam manere & nunquam ingredi.

P. Habent, sed contemnunt & negligunt perinde, ut Ethnici. Spiritum quidem volunt, sed non sanctum. Lumen & cognitionem veritatis seu Sapientiam quidem volunt, sed sanctitatem nolunt. Audiunt verbum, sed non meditantur. Si meditantur, vel obiter id faciunt, pro ratione status quærentes suis meditationibus vitæ alimoniam, non sanctimoniam, vel serio quidem, sed ad promovendam nominis famam, non ad sedandam animæ famem. Non quæunt in verbo DEI necessaria, sed supervacua, non animæ, sed corporis salutem. Quid hoc est aliud, quam contemnere verbum DEI & lumen Spiritus Sancti? Annon contemptum habet vestem pretiosam à principe

datam, qui eâ induitur in honorem promiscuè omnium, cum data sit in honorem solius principis? quid opus est verbo DEI, si non DEUM, sed mundum, non animæ, sed corporis commoda in eo quæris? Abusus iste verbi multos à templo DEI excludit & occæcat. Sit igitur meditatio, quâ vis ingredi, seria & simplex: Seria, quoad modum; Simplex, quoad scopum: Seria, ut intendas omnes animi nervos & non obiter, sed attentè verbum DEI mediteris. Simplex, ut non duos habeas scopos, sed unicum saltem, nempe ædificationem & salutem animæ tuæ. His meditationibus superveniet, qui te prævenit gratiâ suâ, nempe Spiritus DEI, & qui dedit velle, dabit progredi, qui dedit pennas, dabit alas animo ad divina evoluturo. Qui fuit suafor ad templum eundi, idem erit introductor. Ostendet & adjunget comites, qui te manu arrepta secum ducent.

M.

M. *Forſan putas eos, qui olim unà junctis quaſi manibus in templum ibant (Pſ. LV. 15.) dicentes: Venite, introeamus in Domum Domini? (Mich. IV. 2.)*

P. Hos puto: ſed quò plures olim, eò pauciores & rariores jam ſunt. Cave offenderis eorum paucitate & vilitate. Aguntur Spiritu DEI; & tu etiam ageris eòdem Spiritu, niſi reſpuiſ ſodalitium & manuſductionem. Sed heus! Sit quoque conſtans ſeria & ſimplex meditatio tua; ita ut pergas meditando, pergas ſequendo ductum Spiritus & exempla comitum in via verbi divini. Alias, ſi ſemper relabaris, ſemper cuncteris, deſtituet te ductor, & comites te relinquent, & ſic nunquam ad veram agnitionem DEI & tui pervenies. Sed de his jam plura. Unicum hoc diligenter tene: *Via ad templum DEI eſt pia meditatio verbi divini, quam niſi quis calcaverit, nunquam introibit.*

datam, qui eâ induitur in honorem promiscuè omnium, cum data sit in honorem solius principis? quid opus est verbo DEI, si non DEUM, sed mundum, non animæ, sed corporis commoda in eo quæris? Abusus iste verbi multos à templo DEI excludit & occæcat. Sit igitur meditatio, quâ vis ingredi, seria & simplex: *Seria*, quoad modum; *Simplex*, quoad scopum: *Seria*, ut intendas omnes animi nervos & non obiter, sed attentè verbum DEI mediteris. *Simplex*, ut non duos habeas scopos, sed unicū saltem, nempe ædificationem & salutem animæ tuæ. *His meditationibus superveniet, qui te prævenit gratiâ suâ, nempe Spiritus DEI, & qui dedit velle, dabit progredi, qui dedit pennas, dabit alas animo ad divina evoluturo. Qui fuit suafor ad templum eundi, idem erit introductor. Ostendet & adjunget comites, qui te manu arrepta secum ducent.*

M.

M. *Forsan putas eos, qui olim unâ junctis quasi manibus in templum ibant (Ps. LV. 15.) dicentes: Venite, introeamus in Domum Domini? (Mich. IV. 2.)*

P. Hos puto: sed quò plures olim, eò pauciores & rariores jam sunt. Cave offendaris eorum paucitate & vilitate. Aguntur Spiritu DEI; & tu etiam ageris eòdem Spiritu, nisi respuis sodalitiū & manuductionem. Sed heus! Sit quoque constans seria & simplex meditatio tua; ita ut pergas meditando, pergas sequendo ductum Spiritus & exempla comitum in via verbi divini. Alias, si semper relabaris, semper cuncteris, destituet te ductor, & comites te relinquent, & sic nunquam ad veram agnitionem DEI & tui pervenies. Sed de his jam plura. Unicum hoc diligenter tene: *Via ad templum DEI est pia meditatio verbi divini, quam nisi quis calcaverit, nunquam introibit.*

CAP. V.

Quid cavendum ingressuro.

Matth. *Viam monstrasti, monstra
jam paucis pericula cavenda.*

P. Cave turres & Palatia alta circa templum extructa.

M. *Credo multas in monte Sion & aliis locis editioribus turres, multa Palatia fuisse, è quibus non inamœnus ad templum patuit prospectus. In his stetisse puta magnates & divites, quoties se contemplatione templi oblectare voluerunt, & ingredientiæ via humili ex alto despexisse.*

P. Ita est. Hos cave. Sic enim multi stant in turribus humanæ Sapientiæ & Autoritatis, spectatores saltem templi, non frequentatores. Hi dum ex alto totam templi faciem externam considerant, & cum aliis in mundo templis conferunt, oculos suos etiam usque ad sanctum sanctorum mittunt, quo tamen pedes

des nunquam inferunt, sed nudo aspectu contenti, theoriis suis se oblectant, & alios infra via humili & contemptibili ingredientiés, alto supercilio despiciunt, eorumque labores rident. Hi non necessarium putantes templi ingressum, gratulantur sibi, quod possint ex altitudine sapientiæ suæ, omnia cacumina & totius templi ambitum videre, cum aliis infra vix murorum latera & portas cernere liceat. Sed cave eos. Ne mireris (1) eorum altitudinem sapientiæ. Propriis enim viribus illuc ascenderunt, Ductore non Spiritu S. sed Spiritu mundi. Etsi commendent externam templi pulchritudinem, non tamen internum templi decus commendant; quod nunquam viderunt.

M. Laudatur tamen eorum Sapientia.

P. Sed à mundo, non à veris piis. Est enim Sapientia extra templum profana, licet non quoad rem, tamen quoad modum, sacra profano

fano more aspiciens & tractans, ad sanctificationem inutilis, imo noxia. Spiritus S. ipse rejicit & distinguit eam à Sapientia cœlesti, vocans *eam* terrenam, rationalem, imo Diabolicam (Jac. III. 15. 17.) *hanc* vero *castam*, *pacificam*, *modestam*, *bonum consilium audientem*, *plenam misericordia & fructibus bonis*, *non judicantem*, *atque haud simulantem*. Laudet mundus suam; Tu si vis sequi ductum Magistri summi, laudes eam, quam ipse laudat, sapientiam. (2) Ne sequaris errorem eorum, qui nudis theoriis se oblectant. Quid juvat aspectus, si non accesserit usus & ingressus templi? Quid prodest scire, si non vis facere? Diabolus multò eruditior, quam vel eruditissimus mortalium, & quo sublimior in aëre volat, eo accuratius externa templi cernit, interna tamen, ubi DEUS habitat, non ingreditur.

M. *Sed jucundum est scire varia.*

P. Varietas hæc delectat, non sanat,

nat, non corrigit, sed corrumpit a-
nimum. Quæ abducunt ab humili-
 tate, abducunt à DEO. Per super-
 biam homo à DEO recessit, per
 humilitatem ad Deum redit. (3) Ne
 movearis eorum risu, qui humilia
 tanquam satis nota ac protrita con-
 temnunt. Malo cum humilibus ac
 plebejis fundamenta templi videre,
 & viâ tritâ per portas doctrinæ Ca-
 techeticæ templum ingredi, quam
 cum superbis fastigia templi ex alto
 cernere & nunquam ingredi. (Rom.
 XII. 16.) *Non alta sapientes, sed hu-*
milibus consentientes. Nolite esse pru-
dentes apud vosmetipsos. I. Cor. II. 1.
seq. Descendant ex turribus huma-
 næ sapientiæ ac ambitionis, & cum
 rudi plebeculâ per portam Cateche-
 ticam templum introeant, qui vo-
 lunt ad Sapientiam divinam ascen-
 dere. Repuerascant, qui in sacris
 pravè adoleverunt & ad lac Eccle-
 siæ matris revertantur, qui volunt
 in divinis rectè adolescere. Spiritus
 S. in terrâ ducit per vallem igno-
 miniæ

minis ad templum, & in templo per gradus ulterius ducit, quos vult in Sacrarium intromittere: Spiritus ater vero ex turribus humanæ laudis in aëre ducit, & in fastigio templi collocat, quos vult in Gehennam præcipites dare. Tumor in terris locus est, quam fedibus altis.

M. Sed illos in turribus stantes linguamus. Sedens nonnunquam in tabernis circa templum, qui ingressus blandis verbis ad se alliciunt ac detinent.

P. Et hos cavere oportet. Si vis ingredi, sequere alacriter docentem in viâ verbi Spiritum S. & manuducem, si quos Deus adjungit, comites; & perge, oculis antrorsum in templum jugiter defixis (Eph. III. 14.) Ne respicias retrorsum ad ea quæ in mundo relinquis. Considera uxorem Lothi respicientem, & in statuam salis seu lapideam conversam. Induratur animus, à Spiritu S. excitatus, semper

per ad terrena relabens. Ne respicias dextrorsum ad amicos in tabernis sedentes. Meliores amicos invenes in templo, quam extra. Nisi hos reliqueris, relinquet te Spiritus ductor. Quid dubitas relinquere consortium profanorum in tabernis, & transire ad consortium sanctorum in templo. *Amicitia Mundi inimicitia Dei est.* Ne respicias sinistrorsum ad irrisores in turribus stantes; Horum contemptus contemptu vindicandus. Propera in templum, abde te intra teipsum, sic nec videbis, nec audies, quid alii de te sentiant & loquantur. Excitat te Spiritus S. in meditationibus tuis, vellicat animum tuum, docet te contemnere, quæ sunt extra templum, relinquere mundi gloriam, ferre mundi ignominiam, fieri Heb. X. 33. *Opprobriis & tribulationibus spectaculum & socium taliter conversantem*, docet te recta pergere ad templum per gloriam & contumeliam, per famam

nam malam & bonam ; præeunt hîc exemplo comites. Noli negligere Spiritum S. pulsantem , noli fastidire comites contemptos. Qui Spiritum S. negligit pulsantem , non accipit inhabitantem. Qui fastidit Consortium piorum contemptorum , non accedet ad consortium beatorum. Extra templum si hætenus fueris , siue remotè , siue propinquè , ne quæso maneat amplius. Periculosum est , esse extrâ , periculosius , manere extra. Non pudeat descendere ex altis humanæ eruditionis speculis , è splendidis humanæ laudis palatiis , non pudeat prodire è jucundis voluptatum & amicitia humanæ tabernis , & ingredi humilem ad templum viam. Pudeat eam contemnere , eam negligere , in eâ non pergere , ad sanctitatem non tendere , sine quâ nemo videbit DEUM. Tu verò optimè Salvator , misereere eorum , qui sunt extra , qui sedent in tenebris & umbrâ mortis ,
&

& dirige pedes eorum in viam pacis; excute contemptum; neglectum, pudorem & torporem omnem malum, & trabe nos per Spiritum in verbo tuo sanctum, ut curramus ad te, ut perveniamus ad Te, ut recipiamur in consortium tuum sanctum! Amen.

PARS II.

De iis, qui sunt in Atrio primo.

CAP. I.

De statu eorum, quid adsit respectu eorum, qui sunt extra, & desit respectu eorum, qui sunt in atris interioribus.

✓ **M**atth. Jam templum ingressi sumus, & reliquimus profanos in tabernis, & Hypocritas in turribus.

qui sunt extra : Jam credo Christus
DOMINUS noster nos respiciet.

P. Imò istud est, quod promissit
 II. Cor. VI. 17. Exite de medio eo-
 rum & separamini ; & ego recipiam
 vos. In templum recipiebantur vel
 sanctificati, vel sanctificandi. Illi
 hos secum ducebant exclusis curio-
 sis, qui non tam mentem purga-
 re, quam oculos delectare volebant.
 Hos qui secum ducebat, profana-
 bat templum. Sic in templum
 nostrum nemo intrat, nisi qui mun-
 dum profanum & superbum, vel
 reliquit, vel scilicet vult relinquere,
imo non solum vult, sed & cona-
tur, & reipsa, relinquit, exit, &
separat se animo, non corpore à
mundo impio. Hos recipit Salva-
 tor in confortium suum, **DEUS**
 pater in gratiam suam, reputat ju-
 stos propter filium suum, facit san-
 ctos per Spiritum suum. Tales sunt,
 quos in atrio primo collocamus,
 Infantes in Christo, seu incipien-
 tes in studio pietatis. Nondum san-
 cti,

cti, sed sanctificandi. Adest ergo fides vera & viva, quâ justificantur; Adest bonum propositum, & quidem serium, cum conatu & studio, vitandi mala, & faciendi bona conjunctum, quo sanctificantur. Hi enim duo articuli de justificatione & sanctificatione arctissime cohærent.

M. Sed quomodo hæc desunt iis, qui extra, cujus etiam fidem & bonum propositum jactent?

P. Quantumcunque jactent, adest fides viva, adest saltem imaginaria. Quantum differunt cogitationes, quas Phantasia fingit per somnium, & quos animus versat vigilans, tantum discrepat fides falsa à vera. Fides vera solatur se merito Christi contra peccata commissa & resistit vi meriti Christi commitendis, non obediens carnis concupiscentiis irritantibus. Non solum imputat & solatur, sed & armat se merito Christi (I. Petr. IV. 1.) hinc ad pugnam, illinc ad quietem,

tém, quia non nisi post pugnam vera quies animi obtinetur. Falsa fides saltem imputat & solatur, non armat se, non pugnat, sed adventibus concupiscentiis sponte cedit & obedit. Imaginatur sibi quietem in Merito Christi, ante pugnam, imo sine pugna; Sed falsam, quam dies olim aperiet. In iis igitur extra templum fides somniat, in his, qui sunt intra, vigilat & vivit: sicut somnians de templo, multa splendidiora sibi fingit, quam quæ vigilans videt & experitur; Ita illi, præcipuè Hypocritæ in turribus, multò excellentiores & subtiliores habent de fide cogitationes, unde & magis fastuosa loquuntur, quam hi, qui simplices, sed efficaces & vivas habent cogitationes. Illorum fides est in Phantasiâ: Horum in ratione. Fides est lux divina lucens & ardens; Lucens in intellectu, eumque illuminans ad cognitionem injustitiæ nostræ & justitiæ divinæ, depravationis nostræ, rectitudinis divinæ: Ardens in voluntate, & in-
flam-

flammans eam ad odium injustitiæ & amorem justitiæ. Ignis pictus non ardet ; Sic fides Phantastica non est vera & viva.

M. Sed quoniam in templum ad interna venimus ; describe quæso statum animi humani, qualis fuit olim integer, nunc depravatus & iterum reparandus, ut ea, de fide & bono proposito, rectius intelligam.

*P. Hoc plenè & perfectè describi non potest, nisi ab iis, qui habent plenam & perfectam cognitionem sui, ad quam tendimus, nondum assecuti. Quantum tamen mihi cognoscere datum est, videtur status animi, cum Salvator optimus dicat: Regnum DEI est intra vos ; non ineptè cum regno comparari posse. Rex in hoc regno est *Voluntas*, proximus consiliarius est *intellectus*. Ministri interiores, *sensus interni*, præcipue *Phantasia* intellectui, *Appetitus sensitivus* Voluntati inserviens. Servi exteriores sunt *Sensus externi*, quorum ministerio,*

omnia

omnia externa ad regem perveniunt. Hic olim fuit suavissimus ordo & obedientia. Quicquid consiliarius Sapientiâ divina illustratus regi proposuit, illud rex tanquam conveniens, vel non conveniens liberè elegit, & ministris propioribus, nempe appetitui & concupiscentiis *suadendo*, remotioribus, nempe sensibus & membris externis *precipiendo*, ordine & promptè executus est: At jam horrenda est depravatio & confusio in animo secuta. Servi imperant, Rex cum consiliario suo paret. Quicquid in mundo videt oculus, audit auris, id statim concupiscit appetitus. Si ratio reclamât, sub Phantasiâ captiva quasi detinetur, cui bonum apparet, quod non est. Si voluntas tardè consentit, ab appetitu & concupiscentiis abripitur, & consentire cogitur. Adeò perversus est animi status, ut servire cogantur, qui imperare debebant. In plerisque moralibus appetitus sensitivus ceterum tyran-

rannus thronum regium occupat, qui vivunt vitam belluinam, ut olim Ethnici. In quibusdam ratio emergit & eluctatur, ut in Sapientibus Ethnicis. Sed quia beneficio Phantasiæ priorem tyrannum è solio pellit, relinquitur in *Consiliario* quædam imaginatio, totum animum quasi uterum vento impletum distendens, & dicens: Ego sum melior ceteris. In rege vero manet pertinacia dicens: Cedo nulli. Et ut olim ratio divina regebatur & nitebatur Sapientiâ, sic jam *propriâ Sapientiâ* regitur & nititur. Rex antea à DEO, jam à seipso dependens, non DEI, sed proprium quærit honorem. Quo magis ad se redit, eò magis à DEO recedit, eò propius ad diabolicam pervenit malitiam. Adeo depravatus per lapsum est animus humanus, quia nascimur sine timore & amore DEI. Spiritus S. igitur per verbum DEI reparaturus pristinum animi statum, *Primò* rationem è captivitate li-

liberat & in thronum libertatis collocat, *deinde* ipsam rationem captivam ducit obedientiâ fidei, per quam animum à DEO aversum cum DEO iterum connectit. Tollit ex intellectu ventosam impressionem sapientiæ propriæ; affert veram cognitionem Sapientiæ divinæ. Tollit è voluntate pertinaciam & fiduciam in seipso; adfert inclinationem ad Deum, amorem & fiduciam in DEO, ut non amplius propria, sed DEI Sapientia regi, non propriis, sed DEI viribus niti, & à divino nutu dependere velit. Spiritus S. restituit ac dirigit Regem, Rex dein subditos suos.

M. Sed quid Scriptura Sacra hîc docent?

P. Apostolus Paulus videtur hîc consentire. Si Epistolas ejus accuratè legas I. Thess. V. 23. Hebr. IV. 12. I. Pet. II. 11. Jud. 19. videbis eum hæc tria distinguere in animo (1) ἐπιθυμίαν *appetitum.* (2) ψυχὴν *animam.* (3) πνεῦμα, *spiritum.*

Hæc

Hæc ita mihi videntur explicari posse, ut ἐπιθυμία, sit appetitus sensitivus in throno sedens & regnans *Tit. III. 3. Col. III. 5.* ψυχή Ratio sibi relicta, suâ Sapientiâ se regens *I. Cor. II. 14. XV. 45.* πνεῦμα *Rom. VIII. 16.* ratio ad Deum conversa, seu intellectus per fidem illuminatus, Voluntas per caritatem inflammata. In his enim tanquam nobilioribus partibus animæ incipit ejus reparatio. Restituto rege, facilius componuntur subditi. Ex his patescit, quod fidei lux non accendatur in Phantasiâ, sed in ratione; isthinc enim ventosa & otiosa, hinc vero solida est & operosa scientia & agnitio veritatis, quæ voluntatem, in quâ est bonum propositum cum fide semper conjungendum, efficaciter movet ad amplectendam veritatem; Voluntas mota & impulsâ impellit totum animum ad ejicienda ea, quæ veritati divinæ sunt contraria, & sic per fidem corda nostra purgantur.

tur. Et hæc omnia fiunt sponte, ex consideratione amoris & meriti Christi, sic fides generat caritatem, & per caritatem efficaciter movet, purgat & componit totum animum.

M. *Sed unde probas, non sufficere fidem imaginariam, quæ in sola impu-
tatione meriti Christi consistit, ubi non
simul experimur virtutem Christi con-
tra peccata, sed requiri fidem ejusmodi
efficacem & operosam.*

P. Nonne (1) expresse dicit Scri-
ptura Sacra, Jac. II. 22. *Fides coo-
peratur operibus &c.* Philem. 6. *Com-
municatio fidei efficax fiat in agnitione
omnis boni &c.* Gal. V. 6. *Fides per
charitatem operans.* Col. II. 12. In-
culcat igitur fidem non otiosam,
quæ animum relinquit, ut est, sed
operosam, quæ animum semper
mutat in melius &c. (2) Fides ni-
titur verbo DEI. Verbum autem
est, *vivum & efficax*, Heb. IV. 12.
operatur in fidentes. I. Thess. II. 13.
est Verbum vite. Phil. II. 16. *Et*

CO-

cogitationes in Mundanis non sunt somnia inania in animo ludentia, sed actiones vitales animum afficientes; Ita Meditationes fidei in verbo vitæ sint oportet ejusmodi actiones vitales animum afficientes & mutant. (3) Fides vera & Spiritus S. semper sunt conjuncti, *Eph. I. 13. Gal. III. 2.* Spiritus autem est *Spiritus vivificans II. Cor. III. 6.* Ubi non est *vivificatio*, ibi non est fides. (4) Fides affert Christum. In Christo non est mendacium, quale est, credere Christi redemptionem à peccatis; & tamen servire semper peccatis; sed veritas, ut depouamus Veterem Hominem cum mendaciis &c. *Eph. IV. 21. 25.*

M. Plura jam non de dero. Satis intelligo Eos, qui extra templum, saltem habere Imaginariam fidei larvam, nostros vero incipientes in atria primo habere vivam & efficaciam fidem. Quid vero habent respectu ingrediensium in templum?

P. Habent Spiritum inhabitantem,

tem, *Rom. VIII. 11.* cum illi saltem habeant pulsantem, *Apoc. III. 20.* Plus est *habitare*, quam pulsare alicubi. In templo habitat Deus, qui sunt in templo nostro, in illis habitat etiam Salvator per fidem, uti promisit: *INHABITABO in illis*, &c. quod fit, cum per meditationes crebras aliquanto notior & familiarior cordi nostro redditur Christus, quàm erat ingredientibus.

M. Sed quid deest respectu eorum, qui sunt in interioribus atriis?

P. Habent nostri fidei veræ & Spiritus inhabitantis initia, desunt incrementa. Initia fidei sunt parva; ideoque fides semper debet crescere & augefcere. Sunt debilia, ideoque semper stabilienda. In atrio primo animus adhuc est fluctuans, in secundo est confirmator & robustior in Spiritu. Hic est *in Spiritu vivens*, *Galat. V. 22.* 16. ἔν πνεύματι σοιχῶν, *in spiritu ambulans*, & tandem fit ἔν πνεύματι περιπατῶν;

πατῶν *Spiritu deambulans* ; Alius enim est status , habere Christum *inhabitantem* , alius , habere *inambulantem*. Infantes vivunt , sed nondum possunt ambulare. Proficientes discunt ambulare , seu *σοιχεῖν* (*σοιχεῖται* enim aliàs sunt prima rudimenta). Adulti prompte ambulant , quod est *περιπατεῖν*. Præpripis considera mecum illud Gal. IV. 19. *Filioli mei , quos iterum parturio , donec FORMETUR Christus in vobis*. Hinc discimus in infantibus Christum primo delineari , in proficientibus deinde plenius depingi & exornari , ut pictores primo delineant , deinde illuminant & exornant picturas suas. Habent & illi extra templum *formam* quandam pietatis , *II. Tim. III. 5*. Sed falsam in externis saltem moribus sine (*δυνάμει*) *virtute*. Infantes in atrio primo habent eam in animo cum (*δυνάμει*) *virtute*. Proficientes habent eandem *formam* & imaginem Christi in animo , sed cum pleniore (*δυνάμει*) *virtute*. D M.

M. *Quid autem prodest Christum ita in animo delineatum & effigiatum habere?*

P. Sequitur inde desiderium virtutum Christi, & odium vitiorum. Quibus enim imago Christi crucifixi in animo ob oculos quasi versatur, *Gal. III. 1.* illi sæpius suspirant: O quam depravatus ego; quam justus & sanctus Salvator meus! O si tam justus, castus, temperans, mansuetus, patiens, humilis, ut ipse fuit, esse possem! O quantus splendor virtutum ipsius, quanta turpitudine vitiorum meorum! Conformam me imagini tuæ, optime JESU! &c. Hoc adest nostris in templo infantibus; deest vel eruditissimis extra templum, qui desiderant doctrinam Christi sine vitâ Christi. Et hoc est (*τὸ θέλει*) *Velle* Paulinum *Rom. VII. 15.* Extra templum est otiosum & inefficax saltem *Velle*, quale est pigrorum, optantium, quæ putant impossibilia esse, vel eorum, quæ

volunt finem, & nolunt mediam, unde optant nonnunquam justitiam, sed non odêrunt, neque depocere volunt suam injustitiam. In templo verò est *Velle* efficax conjunctione cum odio pravitatis propriæ & desiderio rectitudinis Christi & conatu imitandi ipsi. Extra templum cruciatur animus, quando non assurgere potest ad altitudinem eorum, qui in Palatiis & turribus stant, vel quando contemnitur ab iis, qui sedent in tabernis. In templo cruciatur animus, quando non facere potest, quæ vult & desiderat, vel quando ad ea, quæ odit ac damnat, invitatus relapsum, ingemiscens: quis me liberabit ex corpore mortis hujus? Sci hoc invitatus abripitur ad ea, ad quæ ab ipso sponte redeunt. Vult liberari à peccatis, quibus ab ipso culpam servit. Deplorat ea, quæ alii ridet & sisti cū faciunt. Est ergo in templo odium peccati & desiderium justitiæ sincerum, cum extra templum sit

falsum & simulatum. Non enim oderunt peccati culpam, sed poenam saltem. Non desiderant justitiam ipsam, sed justitiæ mercedem. At pii in templo, etsi adhuc infantes, ingenui tamen sunt, & oderunt malum quâ malum, scilicet coram DEO, non quatenus *sibi* noxium, amant bonum quâ bonum, non quatenus *sibi* commodum, sed DEO acceptum. Sinceritatem odii & amoris ac desiderii inde ostendunt, quod non, quæ sua sunt, ut Hypocritæ extra templum, sed quæ DEI sunt, unicè quærant. Etsi igitur desiderium in atrio primo debile adhuc sit, si respicias eos, qui sunt in atriis interioribus, & ardentioribus aguntur desideriis, sincerum tamen est, respectu eorum, qui sunt extra, & ob id DEO placent & accepti sunt infantes nostri sanctificandi.

- M. *Locuti hætenus sumus de fide & bono proposito, odio & desiderio, in quibus adest nostris veritas & sinceritas,*

*ritas , quâ carent qui sunt foras ,
deest firmitas , quâ gaudent qui sunt
intus , sed anne in hoc quoque statu
sunt beati ?*

*P. Quidni ? Audi Salvatorem
ipsum ; Matth. V. 6. Beati esurien-
tes & sitientes justitiam quia satura-
buntur. Beati coram mundo , qui
desiderant & assequuntur justitiæ
umbram & larvam ; Sed beatiore
coram DEO , qui ipsam justitiam
veram esuriunt & sitiunt. Isti im-
plentur umbræ vanitate ; Hi rei
veritate. Et quamvis abundantius
impleantur , sicut & plura capiunt
adulti ; tamen & tirones nostri sa-
tiantur & implentur , quantum pro
statu suo capiunt. Gustant benig-
nitatem Christi , illis qui sunt foras
ignotam. Et quanto plus gustant ,
tanto plus esuriunt & sitiunt. Qui
olim in templum Salomonis pri-
mâ vice ducebantur , admiraban-
tur splendorem ejus , & desidera-
bant ulterius pergere & plura vi-
dere : Ita tirones nostri cum admi-*

D 3 ratione

ratione & delectatione experiuntur vim suavissimam verbi divini & splendorem veritatis. Ut pueri Palatium introducti omnia oculis suis lustrant; in omnibus hærent, insolitum mirantes nitorem: Ita nostri in omnibus verbis scripturæ hærent admirabundi. Ecce quam verè Spiritus S. hæc dixit! quam accuratè notavit, quæ ad salutem sufficiunt, quæ adversus hostes, carnem, mundum & Diabolum nobis sunt necessaria! Quam stupidus fui, hæc antea legens & non attendens, non recte intelligens! &c. Hæc alliciunt animum plura quærendi & inveniendi, quamvis præ admiratione non putemus nos majora invenire posse. Majora tamen semper videmus, ut ait DOMINUS ad Nathanaelem mirantem ipsius omniscientiam: Majora his videbis. Et quum hæc audimus, superesse adhuc majora & excellentiora, exardescit desiderium nostrum & illa videndi. O quam di-

dilecta sunt tabernacula, quam jucundæ habitationes DEI! Malo hîc ultimus esse & prope portam stare, quam in splendidissimis mundi palatiis diu habitare, & inter primos consistere. Beati, qui ita firunt justitiam!

CAP. II.

De Luctâ & infirmitatibus eorum.

Matth. Exterior hic ambitus templi vocatur alias atrium gentium. Quare hoc?

P. Habebant hîc Judæorum plebei suas cellas seu cameras extructas, sicut Levitæ in interiore, sacerdotes in intimo templi ambitu. Litebat itaque iis in primum hoc atrium secum adducere Gentiles advenas nondum circumcisos, sed circumcidendos, si ulterius voluerint duci. Incircumcisi carne & corde, *Hesekiel. XLIV. 9.* non ad-

mittebantur in interiora templi absque ejusdem profanatione. Videntur etiam Sacrificia hoc loco mactata, & in interioribus, ubi erant altaria, combusta & oblata esse. Incipit ergo hic circumcisio cordis, mortificatio carnis, crucifixio desideriorum carnalium. In plerisque *appetitus* surgit *supra animum*, & in animo tyrannicè dominatur. Hunc ergo hostem primo aggreditur Spiritus S. animum reparaturus & domicilium suum purgaturus. Prima lucta est contra *appetitus carnis*, quorum tyrannicum & iniquum imperium animus illuminatus videt, renatus ferre amplius non vult. Huc refer, quod ait Gentium Apostolus, Gal. V. 17. *Caro concupiscit adversus Spiritum: Spiritus autem adversus carnem: hac enim sibi invicem adversantur, ut non, quacunque vultis, illa faciatis.* Spiritus S. hostem suum *appetitum* in templo cordis secum ferre non potest. Ideo contra eum luctatur,

tur, caro reluctatur, sed Spiritus tandem eluctatur, dummodo in templo maneamus & ductum ejus sequamur.

M. *Subit mihi, quod dicitur de Davide & Saule: II. Sam. III. 1. Et erat bellum diutinum inter Domum Davidis & inter Domum Saul: Et David ibat & confortabatur & Domus Saul ibant & atterebantur.*

P. Opportune hæc subeunt. Ita enim in hac pugna Spiritus debet roborari, concupiscentia verò infirmari & atteri.

M. *Sed quas intelligis concupiscentias?*

P. Inordinatas & immoderatas. Non enim naturam, sed *confusionem* appetitûs sensitivi & affectuum tollere vult Spiritus DEI. Appetitus est vel concupiscibilis vel irascibilis. Prior peccat (1) illicita & prohibita concupiscendo, ut quæ sunt proximi, unde emergit invidia, avaritia &c. (2) licita illicito modo, ut cùm circa cibum,

potum, somnum, vestes, domum &c. & alia necessaria, non necessitatem, sed lautitias appetit, unde luxuria, libido, fastus & alia vitia similia oriuntur. *Posterior* peccat vel objectum, vel modum excedendo, unde odium, iracundia, totaque iræ vitiosa soboles provenit. Hæc vitia impugnat Spiritus, eaque atterere, tollere, & sic affectus in ordinem redigere & rectæ rationi subicere cupit.

M. Sed quare non potest ferre inordinatas illas concupiscentias Spiritus Sanctus?

P Quia contrariantur sanctissimæ Christi vitæ, cujus imaginem jam in animo delineavit. Nempe concupiscibilis appetitus cum progenie suâ adversatur temperantiæ, castitati, continentiae, acquiescentiæ & laboriositati Salvatoris: Irascibilis, comitati, mansuetudini, patientiæ ac humilitati ejusdem. Antequam hæc virtutes in animo plantari & crescere possint, man-

ni-

nifestum est, eradicanda prius esse vitia.

M. Sed quomodo pugnat Spiritus adversus hunc hostem?

P. Eodem modo, quo ipse pugnat, nempe *concupiscendo*. Caro concupiscit; Spiritus contra concupiscit: caro cogitat, Spiritus contra cogitat: Caro suadet; Spiritus contra suadet. Et sic omnibus carnis conatibus renititur, cogitationibus malis cogitationes bonas, desideriis vanis desideria vera rerum spiritualium opponens. Ut caro impedit Spiritum, quò minus possit rite precari, bona loqui & agere, prout vult; Ita Spiritus impedit carnem, quò minus possit peccata perficere. Ubi hæc lucta in corde, ibi peccatum raro audies in ore, raro videbis in opere. Spiritus S. frangit peccatum in cogitationibus & desideriis, & in ipso ortu vitiorum germina suppressere conatur.

M. Quem ob finem ita impugnat

D 6.

nat

nat & oppugnat concupiscentias?

P. Ut eripiat ipsis thronum & dominium, quod non fit uno prælio, sed sensim & sæpe iteratis vicibus. Ut eas in ordinem redactas sub obedientia renatæ voluntatis contineat, ne polluant amplius domicilium cordis, ne impediant cultum divinum & preces in templo cordis, ut possit mens libere assurgere & gemitibus veris ac sanctis DEUM invocare. DEUS enim in Spiritu & veritate vult adorari: Spiritu spontaneo, & à tyrannide carnis liberato; Veritate cordis, non Hypocrisi oris.

M. *Notabam antea, quod de Davide dicebatur in numero singulari: Ibat & confortabatur. De Domo Saul in plurali. Ibant & atterebantur. Quid hoc?*

P. Ita & hîc unus contra plures. Spiritus S. est Unus; Concupiscentiæ sunt plures & milleformes. Quis enim innumerabilia concupiscentiarum pravarum &

va-

vanorum in mundo desideriorum agmina , quæ animum incurfant quotidie , numerabit ? Sed his omnibus resistit Spiritus , unus sufficit omnibus. Profligata unâ concupiscentiâ , aggreditur alteram ; & sic pergit , donec omnes superârit. Posset quidem uno ictu omnes prostrernere , sed mavult successivè eas extirpare , ut videntes magnitudinem periculi nostri & beneficii divini , quæ liberamur à Dominio carnis , ad majorem gratitudinem erga DEUM , & mansuetudinem erga proximum peccantem alliciamur. Memoria enim beneficii , quod citò fit , citò perit in animo nostro.

M. Dixisti antea , initia Spiritus esse infirma , & alias notum quoque est , quod victoria in initio belli sit anceps. Anne Spiritus in hoc praelio contra carnem etiam succumbit ?

P. Succumbit quidem , sed animosior semper resurgere debet. Hoc est quod Paulus ait : (Rom.

VII. 23.) *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae; & CAPTIVANTE M me in lege peccati, qua est in membris meis. &c.* Antea serviebat mens affectibus vitiosis seu concupiscentiis tanquam Domino competentis sponte & libenter, jam invita relabitur & sub tyrannide carnis quasi captiva detinetur, donec succurrat iterum Spiritus liberator.

M. *Audis illos, qui sunt foras etiam uti hoc dicto ad excusanda peccata sua:*

P. Sed est longè dispar ratio: Illi sponte abeunt in captivitatem; in quam hi inviti abripiuntur. Illi gaudent; Hi gemunt sub captivitate. Illi malunt perpetuò servire, quàm luctâ molestâ & difficili se expedire; Hi optant, petunt & nanciscuntur iterum libertatem. Unde Paulus, cum dixisset: Quis me liberabit &c. addit: Gratias ago DEO per IESUM Christum Dominum nostrum, scil. pro libera-

ra-

ratione & victoria. Hic enim est qui dat victoriam ubique, ut alibi docet II. Cor. II. 14.

M. Sed unde est, quod Spiritus succumbat, cum infinitis modis fortior carne sit?

P. Id sit Sapientissimo DEI consilio, ut agnoscamus nullitatem nostram, quod ex nobis ipsis nil, ex DEO omnia possimus; & praeservemur à Superbia, quae multos vicit, postquam vitia sua vicerunt.

M. Non id quaro, sed quomodo fiat, quod peccent, qui peccata eduxerunt & iis valedixerunt?

P. Ideo dixi, quod non consentiant volentes, sed nolentes abripiantur ad peccata, antequam arma Spiritus adversus carnem arripere possint. Non peccant ex malitiâ voluntatis, ut qui extra, sed vel ex precipitantia vel ignorantia. Ut enim Diabolus, externus hostis, vi & fraude: ita appetitus, internus adversarius, modo vehemen-
tia

tia abripit, modo *fraudentiâ* suâ seducit animum. Abripit nos *vehementia appetitus irascibilis*, ut lingua præeurrat mentem, dicamus antequam cogitemus: Seducit nos *concupiscibilis*, ut gustemus, antequam deliberemus, an bonum vel malum sit, putantes non nocere; quod revera nocet. Ille irrumpit; hic se insinuat. Illius *vehementia* reprimitur *vehementi continentia*: *irascimi & minime peccate.* Hujus *fraudentia* evitatur *solicitâ abstinentia*. Sunt enim *appetitus inordinata passionis*, *concupiscentiæ* seductrices. *Eph. IV. 22.* Seductores prudenter sunt cavendi. *Hebr. III. 13.* Illic docet Spiritus S. fortiter pugnare; Hic diligenter vigilare. Atque sic ad libertatem suam tandem perveniet animus. Ante pugnam non datur victoria.

M. *Possuntne concupiscentia istæ (penitus) supprimi, ut animus fiat liber & tranquillus?*

P. Quidni possent? Quare enim pugnat,

pugnat, nisi ut vincat; quare vincit, nisi ut liberet & tranquillet animum Spiritus Sanctus? Quando tandem perveniet ad pacem Christi animus, si hostes pacis, vitiosos nimirum affectus expellere noluerit? Pax nulla nisi devictis hostibus esse potest. Et cò tendere debet animus in atrio hoc primo sanctificandus, ut vitiosos affectus omnes exuat.

M. Recordor hîc Salvatorem nostrum ex hoc loco templi eiecisse, & quidem binis vicibus, vendentes boves, oves & columbas, & mensas nummulariorum, disjectis nummis, evertisse.

P. Quid hoc notat, nisi quod non ferendæ sint in templo cordis ejusmodi impuræ concupiscentiæ bouum, ovium & nummorum, sed penitus expellendæ, ut corde puro possimus precari. Domus enim DEI est domus precum, non mercaturæ. Quod autem bis hoc fecit, nempe sub initium & finem ministerii

sterii sui; Quid hoc aliud est, quàm concupiscentias, quoties redeunt, toties expellendas esse, non saltem in principio, sed in fine luctæ spiritualis? Impudentes enim sunt, ut *Diabolus*, qui repulsam passus seu ejectus semper redit. Minime igitur concedendum, ut concupiscentiæ subinde redeuntis templum cordis polluant.

M. *Fecit Dominus flagellum ex funibus, quos ipsi attulerant mercatores, quos isto flagro expulit.*

P. Ita concupiscentiæ proprio jugulari possunt gladio. Quid enim absurdius, quàm in Spiritu-
libus carnalia, in via ad coelum terrena quærere & desiderare vel-
le? His funibus seipsam constri-
git & jugulat, adveniente Spiritu
S. concupiscentiarum impuritas &
vanitas, ut non opus sit multis ar-
gumentis in re manifestâ.

M. *Cam primâ vice ejiceret Do-
minus mercatores e templo, lenius eos
corripuit, dicens: Auferte ista, &*

ne

ne faciatis domum Patris mei domum mercaturæ. Alterâ vice gravius increpans , dixit : Scriptum est , domus mea , est domus precum ; Vos autem eam fecistis speluncam Latronum.

P. Sic , quò sæpius redeunt , eò gravius arguendæ , eò diligentius expellendæ sunt concupiscentiæ. Animus enim nondum diu luctatus cum concupiscentiis , & succumbens ac Dominium rursum illis permittens fit Domus mercaturæ , in quâ vana quidem , non tamen mala semper aguntur. Animus autem diutius conflictatus cum iisdem , & victus , ubi propè vicerat , fit Spelunca latronum , ubi nil nisi extrema malitia & impietas reperitur. Qui Satanam bis vel ter ejectum , iterum iterumque recipit , ejus posteriora fiunt deteriora prioribus. Sed qui constans est in luctâ & ejectione vitiorum , illius animus tandem sanatur & purgatur , & in meliorem statum evehitur.

M. *Id innuunt fortè verba ibidem con-*

conjuncta. Postquam enim purgaverat Dominus templum, statim additur: Et accesserunt ad eum cæci & claudi in templo & sanavit eos?

P. Immò postquam animus purgatus fuerit à vitiis, sanatur quoque cæca nostra ignorantia quâ seducebant nos vitia; sanatur claudicans impotentia, quâ abripiebant nos vitiosi affectus; Et Spiritus largitur oculos ad vitandas fraudes peccati, & pedes, ut possimus surgere è peccato, ambulare in templo, & ulterius pergere in via sanctitatis.

C A P. III.

De tadio & aliis periculis & Impedimentis eorum.

MAtth. Sed difficile & molestum est semper in lucta versari, semper quasi (θυρωμαχειν) cum bestiis pugnare, hoc est, contra feras con-

CH--

cupiscentias luctari & eluctari. Vix diu sustinere poterit animas hanc pugnam.

P. Imò ex seipso nil potest, ideo rogandus est Dominus, ut suppetat vires, ut sanet coecitates & elaudicationes in animo, ut largiatur oculos vigilantes contra insinuantēs sese, & pedes fortiter stantes contra irrumpentes vitiosos affectus. Nisi enim quotidie fortior & prudentior fiat mens renata, eluctari non potest.

M. Veruntamen omnis labor infuetus primò molestus est & tedium parit, & videmus multos cum gaudio templum intrantes, cum tedio redeuntes.

P. Idem & hîc contingere solet nostris tironibus, quia vires adhuc debiles, quia hostes pertinaciter obstrepunt, impudenter redeunt, quia animus aliquoties succumbens, ægre surrexit, quia victoria adhuc in ambiguo, quia nil nisi pugnas vident, animus eorum
mo-

molestiæ pertæsus facile segnescit
& abjectâ spe emendationis è tem-
plo ad tabernas profanas redit.

*M. Sed quid hoc obest, cum ile-
rum possit ad templum redire & lustram
suam rursum inchoare?*

*P. Maxime nocet. Impedit e-
nim profectus in sanctificatione,
& victoriam contra hostes & tran-
quillitatem animi. Quo segnius
pugnas, eo longius protrahis bel-
lum. Quantum concedis carni, tan-
tum detrahis spiritui. Quo sæpius
relabitur animus, & ad eundem
semper lapidem impingit, eò robu-
stior fit caro, infirmior Spiritus.
Donec tandem penitus deficiat, &
ad pristina imo pejora relabatur.
Vincendum est; nisi tu viceris car-
nem, caro te vincet.*

*M. Adeone periculose inducie sunt
in hac pugna? Adeoneroximum est,
lucta pertæsus è templo egredi, & re-
gredi?*

*P. Sic est. Extra templum Spi-
ritus enervatur recreationibus car-
na-*

nalibus. In templo roboratur in ipsa pugna, quæ cum initio sit gravis, ipsâ consuetudine fit levis. Et nisi crescat animus in templo, facile decrescit extra templum & penitus deficit. Unde Apostoli incipientes Christianos tam seriò adhortantur *minimè succumbere, minimè commoveri in tribulationibus, nullò modo perterritos esse ab opponentibus.* I. Thess. III. 3. Philip. I. 28. Multi enim hilariter inchoant pugnam in templo, sed turpiter deserunt & affugiunt extra templum ad vanitatem turrium, vel profanitatem tabernarum. Nullos infensiores hostes habet gens Christiana, quam eos, qui sic Christianorum sacris initiati resiliunt. Uti Judæi non acerbiores templi sui contemptores habebant, nisi qui huc perducti, ulterius duci volebant, sed cum fastidio revertebantur ad gentiles suos mores.

M. Undenam oritur iadium in tironibus nostris?

P.

P. Videtur oriri. (1) *ex teneritudine animi*. Animus puerorum in tenerâ ætate est flexilis, mollis & cereus, cui facile imprimas & eximas, quicquid volueris. Est vagus, inconstans, novitatis amans. Videmus pueros in splendidum palatium introductos primò cum voluptate summâ omnia admirari, deinde cum tædio diutius illic morari. Israëlitæ in desertum educti primò admirabantur manna, mox fastidiebant, desideriiis ad olidas Ægypti cepas relapsis. Ita tirones nostri animò ad hoc *fluctuantes* facile fastidiunt, quod prius propter novitatem mirabantur, & variis doctrinis facile circumferuntur. Egent itaque incremento & robore Spiritus, & prudenti manu ductore, ut contra hoc tædium & periculum seductionis muniantur. (2) *ex molestiâ lucta*. Molestum est secum luctari & inimicum semper in sinu gerere. Israëlitæ in deserto audientes, terram Canaan, ad quam

mo-

molestis itineribus pergebant, expellendis Gigantibus, acerrimâ pugnâ esse occupandam, pertæsi tot laborum animum despondebant, & reditum in Ægyptum meditabantur. Unde plurimi illorum in deserto prostrati in terram promissam quietis nunquam pervenerunt. Sic & animi tironum nostrorum luctæ difficultate facile absterrentur. Ante luctam, cum sentiunt concupiscentias, nimis segnes, in luctâ nimis tardi, post luctam, si vicerint, nimis tumidi; sin victi, nimis desperabundi sæpius deprehenduntur. Accedit, quod, superatâ unâ concupiscentiâ, restet altera superanda; quod ea præprimis, quæ per consuetudinem altiores in animo radices egit, quoties refecatur, toties repullulet, sed alio atque alio semper modo, aliâ formâ, alio prætextu, nunc clam irrepens, mox subitò irrumpens animo. His omnibus lassatus animus tener facile labascit, & tandem fugam potius

E

tius

rius quam pugnam meditantur.
 Veluti Petrus tunc adhuc illece-
 randis inambulans, visa ingenti ma-
 gis unda, subito territus cepit mer-
 gi, & submersus fuisset, nisi JE-
 SUS porrecta manu ipsum susten-
 tasset. Indigent ergo viros huius
 Duce, qui praeceat & ad pugnam
 armet; & comitibus, quorum
 exemplo excitati lacris impugnent.
 Nempe ut vitis palo, ita animi ter-
 riores admonitionibus, exhorta-
 tionibus & consiliis oriuntur & fla-
 tumineantur. Talia monita & con-
 silia in Sacris literis sunt celoberri-
 ma. Unicum saltem adnotam, quod
 probe considerandum, traditum lucas
 discutiet. Hebr. XII. 4. *Nondum*
usque ad sanguinem resistitis, adven-
sus peccatum repugnantes &c. *Propter*
quod remissas manus & soluta ge-
naa erigite. (*incedentes*) *& gressus*
rectos facite pedibus vestris, ut non
claudicant quis erret, magis autem
sanctus. Videtur nobis vehemen-
 ter lucas esse, cum tam non videtur
 usque

usque ad sanguinem vestierimus. Recipiamus exemplum Ducis nostri Christi, qui ita luctatus est, ut sanguinem suum fuderit in terra & cruce. Nos non ita luctamur, & tamen luctari recedimus? Minime id convenit militibus Christi. Sed redintegranda est pugna, colligenda sunt vires in manibus lassatis & genibus vacillantibus, & firmo pede stantem in pugna adversus peccatum. Et quare non fortiter pugnemus, cum habeamus promissionem victoriae, roborantem Spiritum, & commilitones sanctos, qui eandem pugnam pugnant & virtute Christi vincunt? Hoc nisi fecerimus, ~~formis~~ animi nostri plane ~~deformabitur~~ & in pejus degenerabit. Animus segnis facile se claudicans, mox plane impotens & ineptus ad luctum: Sin. recedimus, ~~sanctissimus~~ claudum. Qui enim viribus à DEO concessis diligenter utitur, illi majores conceduntur.

M. Quid si vires hæ nondum adsint?

P. Manecas in templo, quæras precibus & expectes divinum auxilium. Navigaturus manet in Portu, non procedens in altum, non recedens in terram, sed manens in litore expectat ventum commodum: Ita sanctificandus noster tiro maneat in templo, pergat meditando, orando, pugnando & vigilando contra seipsum, & sic expectet spiritum ulterius ducturum.

M. Sed hoc tironibus molestum est, qui desideriis modo huc, modo illuc vagantur & ad interiora non possunt ad exteriora facile retrahuntur.

P. Ideo tædium eorum oriri puto (3) ex portis ad intra clausis, ad extra apertis. Clausæ sunt portæ ad interiora templi, quia DEUS unumquemque filium, quem suscipit, prius probat; num data gratiâ ad luctam fideliter sit usus? Qui enim fidelis est in minoribus, illi majora deinceps committuntur?

M.

Por-

Portis ad exteriora apertis probat DEUS pios; num velint constanter in luctu & labore pergere, vel ad delicias extra templum reverti? Qui hanc probationem non sustinent, repudiantur: Qui vero sustinent, Hebr. XI. 25. *Magis electes affligi cum populo Dei, quam temporalem peccati habere jucunditatem.*, illi in bono confirmantur & ulterius ducuntur. Portis ergo ad extrâ patentibus, cum respiciunt tirones hinc in turribus rejicientes & damnantes, illinc in tabernis iridentes & traducentes institutum suum, facile transverberatur animus nondum confirmatus, & dimovetur ab incepto. Non prodest igitur respicere sæpius ad ea, quæ extra templum geruntur, multo minus egredi. Satiùs est clausis animi januis, seu castigata aurium & oculorum licentiâ, intra seipsum manere, & à commercio hominum tamdiu abstinere, donec animus continentiam in inaccessibilibus,

& abſtinentia in concupiſcibilibus
munus, & virtute Spiritus S. con-
tra Mundi minas & illecebras ro-
boratus, abſque periculo ſuo ad a-
liorum ædificationem egredi poſ-
ſit. Tirones enim nondum ſibi ipſi,
nedum alijs conſulere poſſunt.

M. *Sabena hic, quæ exitum Heſek.
XLVI. 9. ubi qui per portam Me-
ridionalem ingreſſi ſunt templum, iu-
bentur per portam Septentrionalem ex-
iſſe, & non per eam, quæ
veniunt, portam exire.*

P. Monentur pii, periculofum
eſſe redire ad conſortia, quæ reli-
querunt extra templum, cum in-
grederentur. Facile enim noſtrum
animum nondum ſatis confirma-
tum ad ſe ſuoſque profanos mores
retrahent, vel deſiderium boni, o-
dium mali in corde noſtro minuent.
Ideo ſi placet egredi è templo, ſeu
relaxare animum, aliâ porta egre-
diamur, ne videamus conſortia
priora, neve eorum contagio rur-
ſum abſorpiamur & profanemur:
Tu.

Tutissimum tamen fuerit in templo manere & sanctificationi diligenter incumbere.

CAP. IV.

An hoc in atrio omnino subsistendum?

Matth. Sed anne hio subsistendum?
P. Minime.

M. Multi tamen putant sufficere, templo egredi, & retrodi, manus extra pollicere, & intra rursus lavare, lactam abrumper, & rursus inchoare, in tabernis profanum, in templo sanctum esse.

P. Hi periculosissime errant.
(1) expresse urgent Apostoli Sanctificationis continuationem, persistentes sanctitatem & alibi passim.
(2) Periculosum est, ut diximus, in hoc statu manere. Animus enim tener & fluctuans facile seducitur. Ideo autem vult S. Paulus nos crescere
E 4. scire.

scere, & non manere infantes, ut possimus cavere varias seductiones & fraudes Diaboli. (*Eph. IV. 15.*) Ideo vult cor firmum fieri gratia, ne animus amplius circumferatur variis doctrinis *Hebr. XIII. 9.* Animi *instabiles* facile relabuntur ad peccata, & salutis suæ certi esse nequeunt, *II. Petr. III. 16.* Ideo vult S. Petrus *II. Petr. I. 10, 11.* nos studiosos esse bonorum operum, quibus sanctificamur, ut vocationem & electionem nostram firmam reddamus, non amplius ita, ut tiro-nes solent, impingamus, sed ingres- sum in regnum Christi abundanter subministratum habeamus, & ita salutis nostræ certi reddamur.

M. Veruntamen, obedientia nostra in hac vita saltem est inchoata.

P. Bene, Inchoata non semper inchoanda sed continuanda, non abrumpenda, ut semper opus sit denuo inchoare. Male vivit, qui semper inchoat vivere.

M. Sed caro impedit & abrum-
pit s:

pit ; concupiscit enim adversus Spiritum.

P. Obstruendus est fons concupiscentiarum carnalium , ut fons concupiscentiarum spiritualium totum animum aquâ vivâ & purâ perfundat. Contra Carnem non solum luctandum , sed eluctandum. Non pugnanti , sed legitime pugnanti , & vincenti dabitur corona. *II. Tim. II. 5.*

M. Sed nemo vivit sine peccatis.

P. Rectè : Etiam si vivat sine his crassioribus , non tamen vivit sine subtilioribus. Plures invenies in corde tuo aberrationes à norma rectitudinis divinæ , quàm Concupiscentias , sed quæ non nisi his domitis deprehendi & corrigi possunt. Sunt excrementa primæ , sunt secundæ , sunt tertiæ concoctionis. Datur contaminatio carnis. Datur contaminatio Spiritus. Depositis crassioribus fecibus concupiscentiarum & sensitivi Appetitus , pergendum ad alia inquinamenta Phantasie &

rationis. Semper supererit locus ulteriori incremento in sanctificatione. Continuanda est usque ad mortem, ubi consummabitur.

M. At si tirones in hoc statu morerentur, annon beatè morerentur?

P. Moriantur quidem beatè; Sed non vivunt beatè nisi pergant. Ideo enim longiorem vitam concedit DOMINUS, quia ulterius vult ducere in sanctitate. Si hîc sequi rennuunt, non Christo vivunt, sed sibi ipsis, & ventri suo, non Domino servire volunt; quod est Pseudo-Christianorum extra templum.

M. Audio plurimas Dicentes, plane impossibile esse animum ita moderari, ut nunquam modum excedas in concupiscendo vel irascendo, seu appetitum non posse ita subigi & domari, ut animo semper pareant.

*P. Si simpliciter impossibile est, vel DEO, vel nobis id imputandum. Si DEO, vel non vult, vel non potest per Spiritum suum ad
eam*

eam imaginis Christi rectitudinem
 animum nostrum scingere, ad
 quam animos Apostolorum & pri-
 morum Christianorum reformavim.
 Utrumque vel cogitare absurdum
 est. Relinquitur ergo, culpa no-
 bis imputanda esse, quod noli-
 mus ad eam rectitudinem animi
 reduci. Videmus lucem. Sed te-
 nebras nostras plus diligimus, quam
 lucem. Nolo in culpa esse, non
 posse prætenditur. Tantum tibi vi-
 detur posse concupiscentias seu af-
 fectus continere, ne erumpant in
 dicta vel facta indecentia? Anno
 videmus qui sunt foris id quandoque
 facere posse?

M. Facimus, sed, ut dicis quon-
 doque scilicet, in conspectu hominum,
 quos verentur ac timeant, non semper
 & ubique tanquam in conspectu DEI.
 Deinde faciunt id amore laudis ho-
 rum hominibus, non amore sanctita-
 tis coram DEO.

P. Bene! Si igitur Spiritus su-
 perbiae, timor hominum & amor
 E 6 laudis

laudis. Mundanae tantam continen-
tiam, & abſtinentiam ab animo ex-
torquere poteſt: Quidni Spiritus
gratiae, timor & amor DEI ami-
mum à pravis concupiſcentiis pur-
gare poſſet, & eò perducere, ut
DEUM corde mundo invocare &
ſervire poſſimus in ſanctitate & ju-
ſtitia, quæ ipſi placet? Ut Spiri-
tus mundi coram mundo docet
omnia decenter, rectè & inculpa-
tè facere: Ita Spiritus DEI coram
DEO.

M. Imo arbitror à corde ſat puro
me DEUM invocare, ſi abſtinero
ab exceſſibus gravioribus, ut puta, fur-
tis & adulteriis &c. & poſt exceſſus
leviores, nempe crapulam inopinatam
non mei, ſed amicorum cauſa factam,
poſt exacerbationem animi aliorum in-
juriis provocati, in verba irata erum-
pentis, ad me rediero, & veniam
propter Chriſtum petiero. Cætera ſup-
plebit ſanctitas Chriſti.

P. Hoc non eſt corde ſancto &
puro ſed polluto orare, imo ore
&

& manibus pollutis precari. Minime ferendum est, quando sensus concupiscentiarum per cogitationes & desideria interius cor semper polluit, ideo contra ea pugnat Spiritus, quia ferre non vult, & tandem purgat cor, si sedulò & sollicitè perrexerimus. Et tu concedis insuper externa membra pollui, & nihilominus putas te corde puro orare? Polluit cor *appetitus regnans* in ore verbis iratis, *regnans* in lingua excessu bibendi, obtrectandi, temere judicandi, *regnans* in oculis mulierem comptam aspiciendo, *regnans* in auribus vana potius & ludicra, quàm seria & utilia audiendo, *regnans* in manibus ludendo, *regnans* in pedibus saltando & tripudiando. Et tu dicis, te, his non obstantibus, posse corde puro orare? Nescis, quid sit sanctum, quid profanum, quid impurum, quid purum coram DEO? Restant multò plures & subtiliores in animo defectus, quos Christus, dum

sanctificamur, merito suo tergic, ut non opus sit ad regendas crassissimas has concupiscentiarum carnalium sordes sanctissimo merito Christi abuti, præferimus cum nobis animum ab illis sordibus purgari, semper revertens ad ea, ut fas ad volutabrium. Majorem sanctitatem requirit Gratia Novi Testamenti. Scis Judæos in atrio hoc non substituisse, sed ad interiora perrexisse, quando Sacrificia sua obtulere. In hoc enim atrio nullum erat altare, in quo potuissent offerri sacrificia, sed illa stabant in interioribus. Ita & tu nullum huc habes altare, nullum meritum Christi, quamdiu subsistis; quamdiu pateris concupiscentias, (quas infirmitates vocas), in corde & ore & membris regnare. Cave igitur iteratos ejusmodi excessus & crebros egressus è templo; mane in templo, perge diligenter in luctu, adversus carnem, donec tibi porta aperiatur alterius ingrediendi, devictis

victis scilicet & domitis concupiscentiis. Ibi asperione sanguinis Christi, contra delicta tua severius niti, & corde puriore & tranquilliore DEO servire poteris.

CAP. V.

Quomodo ad atrium interius pergendum?

MATH. Dixisti, me pergere debere; Sed quæ pergam, camporia sua clausa?

P. Circumspice prius, an hac luctâ contra concupiscentias rite defunctus sis? Fortasse quibusdam, nondum omnibus renunciasti. Solet animus quandoque, excussis ceteris, unam concupiscentiam sibi reservare, quæ deinde totum animum veneno Hypocrisis inficit. Atque hæc est, quæ præ ceteris vel vitio seculi, vel consuetudine propriâ familiarior ipsi fuit.

M.

M. Unde id cognoscam?

P. Examina seculum hoc, in quo præ ceteris vitiis eminent ebrietas & avaritia à Salvatore olim prædicta. *Luc. XXI. 34.* sed jam à nēmine ferè, ut vitia notata, quia consuetudo ubique invaluit & turpitudinem ac infamiam sustulit. Cogita, annon ex hâc quoque consuetudine aliquid vitii contraxeris, quod tamen nondum credis esse contra temperantiam & *sufficientiam* Christi. Solent ejusmodi affectus vitiosi altius se insinuare & difficilius agnosci ac eradicari. Deinde excute temperamentum tuum, an sis sanguineus ad libidinem & ineprias, an Cholericus ad iram, an Melancholicus ad suspiciones & garrulitatem; an Phlegmaticus ad gulam & acediam proclivior? Omnium quidem mortalium animus amore sui & odio proximi per lapsum depravatus est; Unde arrogantia, invidia, avaritia, Luxuria, ira & ceterorum

vi-

vitiorum cohors facile pronascitur: Sed ex temperamento, ex educatione, aliisque circumstantiis hæc oritur diversitas, ut alter hoc, alter alio vitio magis infectus esse deprehendatur. Et quæ sic contracta sunt vitia, intimius quoque hærent; consuetudo enim est altera natura, & ob id difficilior dimituntur & serius extirpantur. Hic examina te, an etiam hæc vitia per consuetudinem tibi familiarissima, serio oderis, & evellere coneris? Habes & hic in atrio primo gradus aliquot altius ascendendi & in odio peccati crescendi. Primus est *Agnitio*: Vide, an agnoscas vitia tua tibi valde consuetæ & usitata, v. gr. facilitatem jurandi, execrandi, irridendi, temere judicandi proximum, aliasque vitiositates linguæ? Fortasse hæc nondum agnoscis; difficilior enim, quam minus usitata, cognoscuntur. Perge igitur hîc ut agnoscas. Secundus gradus est *Detestatio*: Fortasse agnos-

cis,

scis, sed nondum detestaris: perge
 igitur in detestatione familiarium
 tuorum vitiorum. Tertius est *Fu-
 ga*: Forſan detestaris, sed nondum
 ſoliciſſimè fugis vitia tua. Et hinc eſt
 frequens tuus à templo egreſſus,
 ſeu lapſus & exceſſus. Hic om-
 nino diligentiffimè pergendum,
 ut vel minimam occasionem dili-
 genter vitas, quo ſcis affectum
 tuum vinoloſum irritari. Atque quum
 ſic creveris in odio erga peccata
 tua, pervenies & aſcendes ad por-
 tam, quæ ducit ad interiora.

M. *Imò ſæpius tentavi eaſdem fac-
 tam occasionum, ſed DEUS nondum
 dedit vires.*

P. Vide, ne culpa in te refideat.
 DEUS dedit vires, tu forſan oſti-
 tantè inſidem uſus, pugnam malui-
 ſti declinare, quam ſubire. Exa-
 mina te, an ſemper vigilaveris con-
 tra fraudem carnis tuæ, an fortiter
 reſtiteris vehementia carnis tuæ?
*Spiritus univerſam armaturam tibi
 monſtravit; tu non ſedulo induiſti.*

Non

Non semper circumcinctos ad pugnam habuisti lumbos animi tui, sed sæpius incaute relaxasti; Unde non Spiritum S. sed remetipsum incules. Si tamen defuissent vires, annon potuisti petere? An nescis vocem Salvatoris: Petite & dabitur vobis? Et eadem est via, qua ad interiora pergere potes & intro-mitti. Perge viam, quã ingressus es ad templum, scil. meditatione, tentatione, (quæ fit in luctâ) oratione. Oratione autem præcipue, cum veneris ad Portam. Pete, & accipies; quære, & invenies; pulsa, & aperietur tibi: Petens enim accipiet, quærens inveniet, pulsanti aperietur: Sic tu pulsa diligenter portam ad interiora templi, & aperietur tibi.

M. Pulsavi sæpius, sed nondum aperta est.

P. Pulsasti, sed forsitan obiter, non diligenter; pertæsus laboris abiisti, & portæ apertionem non ardenter desiderasti. Cum templum

plum primo ingredereris, porta hæc aperta tibi videbatur (omnes enim portæ templi è diametro sibi correspondebant, ut ingredienti primam appareret quoque intima). Et ideo patebat tibi, ut videres splendorem templi: Et ideo videre te voluit DEUS, ut eum considerares. Ignoti enim nulla cupido. Jam postquam intraisti & in atrio primo habitare cœpisti; clausit eam DEUS, ut cum desiderio pulsares. Dat enim libentissimè Spiritum suum, sed petentibus & desiderantibus.

M. Imò pulsavi magno cum desiderio; nec tamen aperta est.

P. Cogita, Animum tuum nondum satis præparatum forsan esse ad capiendam gratiam majorem. Forte nondum scis, quæ sciri possunt in atrio primo? Fuere hîc, ut in ceteris atriis, cameræ docentium & discientium, in quibus rudiores informabantur. Obambula igitur & visita omnes cellas doctrinæ.

næ Catecheticae; procul dubio invenies, quæ discenda vel dediscenda restant. Forsan restat opinio quædam dediscenda, quæ impedit profectus crescendi in odio peccati; Vel restat hîc discenda doctrina quædam, quæ auget amorem & desiderium justitiæ. Desiderium enim hoc esse debet verum, sincerum, humile: Verum, sine fuco; sincerum, sine lucro, vel proprio commodo; humile, sine præsumptione. Omnibus diligenter visitatis & excussis redi & pulsa; sed cum desiderio humili, dicens, Domine, si dignus sum, intro-mitte me! DEUS enim his, in quibus habitat Spiritus concupiscens adversus invidiam, dat *ma-jorem gratiam*, sed si sint humiles. Ideo dicit Scriptura, *Jacob. IV. 5. 6.* DEUS superbis resistit, Humilibus vero dat gratiam. Si ita redieris & per gradus, nempe per gradus odii veri, per agnitionem, detestationem & fugam peccati ascenderis

cenderis ad portam, & cum desiderio vero, facero & humiliam-
 passaveris; Deus sine dubio aper-
 riet, & ad altiora te intramittet.
 Fidelis enim est Deus, qui nos vo-
 cavit ad consortium filii sui: *I. Cor.*
I. 9. Ipse bonum opus in nobis in-
 coprum perficiet. Tibi vero, Op-
 time Salvator debentur gratias,
 quod dignatus sis nos à profanis so-
 paratos in sanctum hoc templi tu-
 atrum recipere. Tibi initia & in-
 crementa fidei & sanctitatis nostræ
 commendamus. Protege & diri-
 ge nos Spiritu tuo, ut rorescat ani-
 mus in hoc anno adhuc tenebrosus,
 & roberetur. Conforta eum in
 difficili & molesta lucta contra car-
 nem. Præserva & muni contra
 dubitationum fluctus, contra tæ-
 dium & lassitudinem, contra cro-
 briosos excessus, ne nimis sæpe
 succumbens, tandem plane defi-
 ciat. Serva animum in his peri-
 culis, & dirige ipsam in admini-
 culis ulterius pergendi, & in odio
 &

& desiderio vero crescendi, donec tibi placeant, cum omnibus militiæ Christianæ tirociniis in hoc arrio rite defunctum ad altiora assumere. PL. LXXXIV. 1. *Quam amata Tera sunt in gremio Domine virtutum! Candorificum & deficit anima mea in atria Domini. Imple Domine intima animæ nostræ desideria, & perduc nos ad interiores aulas tuas ad laudem gloriæ gratiæ tuæ! Amen.*

PARS

P A R S III.

De iis , qui sunt in Atrio
secundo seu adolescenti-
bus in Christo.

C A P. I.

*De Statu eorum, respectu Inferiorum
& Superiorum.*



Atth. Venimus jam, DEO
duce, in atrium secundum,
ubi remotiores sumus à va-
nitatibus & turbis , que
extra templum , & ob id , ut puto,
tutiores contra seductiones , impedimen-
ta & recidivas peccati.

P. Tutiores quidem ; sed non
plane securi : Tutiores tamen su-
mus , quia Deus hîc dedit , quod
in atrio primo desiderabamus ,
Nempe oculos clariores contra igno-
rantiam nostram , ut fraudes carnis

no-

nostræ seductricis melius videre & prævenire queamus , antequam præveniamur ; Et pedes fortiores contra præcipitantiam nostram , ut impetum affectuum fortius sustinere , pravas concupiscentias facilius vincere ac refrenare , atque sic , perruptis impedimentis & obstaculis carnis , Spiritu liberiore DEO obedire ac servire possimus. Introivimus jam in potentias Domini Ps. LXXI. 16. & hostibus sanctitatis , pravis nempe concupiscentiis potenter repressis , potenter incipimus ambulare in viis Domini , & potenter , seu devotius , quam antea orare.

M. Forsan eò respicis , quod in atrio hoc steterit ara , à Salomone hæc collocata , cum in arâ superiori prope templum non potuerit omnia sua sacrificia offerre : Sacrificia autem in aris ad id consecratis oblata , quid aliud significant in Scripturis N. T. quam preces sanctorum Nomine Christi ad Patrem missæ ?

F

P.

P. Recte ais. Ara est Christus: Ille scilicet hic *stet*, firmior & fortior in animo. Nempe in tironibus fides tenera & fluctuans, in adolescentibus est confirmatio in doctrina Christi, robustior in virtutibus Christi. Ut enim olim de ipso in terris, ita jam de ipso in animâ nostrâ dicendum est: *Puer crescebat, & confortabatur Spiritu, vel: JESUS proficiebat sapientia, & etate, LUC. II. 40. 52.* Sapientiâ in doctrinâ, robore & statura in virâ. Vel Firmitate doctrinæ contra dubitationum fluctus, robore viræ contra affectuum impetum.

M. Sed nunquid vera fides sine dubitationibus in animo non generatur?

P. Ita sentio. Prius sit infans, qui vult adolescere. De eo prius dubitandum, quodvis explorare & certò nosse. Ut arbor à ventis, ita fides à dubitationum seu tentationum procellis agitata altiores in animo radices agit. S. Petrus & Jacobus

cobus vocant hoc *probationem fidei*, & requirunt fidem experimentalem, quæ non ex aliorum relationibus, sed ex propria experientia didicit, optimum esse DEO ejusque verbo unice niti, quæ dubitationes & tentationes experta, & per illa experimenta confirmata & approbata est. Fides nunquam tentata, vix est vera: sed cave hinc fidem nunquam dubitantem, & fidem semper dubitantem! Illa est securorum, hoc negligentium, & in viâ sanctificationis subsistentium. Infirma est fides, fateor, sed non maneat semper infirma: Erigatur, stabilizetur tandem; Christus debet in atrio hoc stare. Domine auge in nobis fidem! Ita illuminatur in nobis Oculus fidei; Ita animus antea instabilis tandem confirmatur, ut non cogamur amplius variis doctrinæ ventis ac fluctibus volvi & revolvi.

M. Potestas pervincit per fidem stabiliri, ac curam fortius resistit,

& in Spiritu promptius ambulet?

P. Quidni? Considera illud Eph. III. 16. 18. Ubi Paulus Ephesis optat dari, VIRTUTE CORROBORARI per Spiritum ejus in interiori homine, Christum HABITARE per fidem in cordibus vestris. IV. 18. IN CHARITATE RADICATIS & fundatis. Nota hîc (1) virtute corroborari. In Hypocritis extra templum nulla est virtus, sed externa saltem larva: In tironibus atrii primi est virtus, vera & viva fides; In Adolescentibus atrii secundi est robur virtutis, robustior vis hominis interioris, seu fidei & omnium donorum Spiritualium. (2) Christum habitare. In filiis seu tironibus Paulus ait Christum formari; In nostris vero hîc habitare. Illic delineat sibi Christus domicilium; Hic plenius extruit; In atrio tertio vel intimo exornat virtutibus suis. Extra templum non Christus, sed ejus larva habitat. In templo ejusque atrio primo habitat Christus cum gratia

ve-

vera; In atrio secundo habitat cum gratia majore. In illo virtutes ejus delineatæ; In hoc plenius depictæ. Illic desiderium virtutum Christi. Hic quædam possessio virtutum Christi. Illic τὸ Velle; Hic τὸ posse quodammodo. Illorum votum est: O si ita possem, ut vellem! Horum est: O si melius & rectius possem! In atrio primo interior homo est infans & vult, sed nondum potest ambulare, tentat tamen, & discit adminiculis suffultus ambulare: In secundo non solum vult, sed & potest ambulare, & discit rectius ambulare. In tertio promptè potest *deambulare*, seu circumambulare. Christus enim majore gratiâ inhabitans roborat ambulantem & fulcit labantem, ut stare possit adversus minas, & illecebras mundi, quibus tironum animus sæpe dejicitur & impeditur in cursu suo. Christus enim stat in hoc atrio: stat erecto capite, non solum ut strenuus luctator, sed & fortis victor.

M. An vinci posse putas concupiscentias?

P. Perpende illud Johannis I. Joh. II. 14. Scripsi vobis, Adolescentes, quoniam fortes estis, & verbum Dei manet in Vobis, & vicistis malignum. Tria dicit, 1. Adolescentes esse fortes, fortiores scil. infantibus. 2. Verbum DEI in ipsis manere, quod in infantibus adhuc fluctuabat: memoria eorum, in quâ Christum gerunt, est stabilis, infantum verò labilis. 3. Ipsos vicisse malignum, i. e. Diabolum. Diabolus impugnat animam nostram per objecta externa mundana: mundana insinuant se in animam nostram per sensus eorumque concupiscentias; Hæ enim sunt velut laquei aut fibulæ, quibus anima nostra Mundo alligatur. Quisquis igitur laqueos hos, etsi subtiles nonnunquam, cornere & facili negotio disrumpere, animamque à terrenis immaculatam servare potest, ille vicit Diabolum principem mundi,

mundi; & vicit mundum. Fides est victoria, quâ vicimus mundum. Fides enim non patitur animam ejusmodi vanis & caducis in mundo rebus adherere, & quoties appetitus suis fibulis, seu inordinatis motibus eam vult rursus annexere, fortiter abrumpit, & ad spiritualia animam retrahit. Hoc possunt Adolescentes in Christo, quia verbum DEI manet in ipsis, quia fortes sunt sc. ad vincendas concupiscentias.

M. Sed quomodo vincere possimus, cum fons concupiscentiarum impurus maneat in carne, quamdiu eam circumgestamus, quamdiu hic vivimus?

P. Concupiscentiæ vincuntur, non, ut non sint, non ut non amplius surgant & pugnent, sed ut non prævaleant, ut antea, contra Spiritum. Domantur, non tolluntur. A tironibus difficulter & cum dolore, ab adolescentibus facilius & cum labore, ab adultis facillime

& cum gaudio vincuntur & compescuntur concupiscentiæ. Obstrui potest fons concupiscentiarum, ut vix guttatim stillet, cum antea large manârit, & cor polluerit. Aliàs quomodo DEUS cor mundum in te creabit, nisi volueris impurum hunc fontem obstrui? Et quamvis sollicitè fuerit obstructus, tamen novas semper rimas erumpendi quærit, & facillime impuris suis guttis inquinat claram aquam è fonte Spiritûs scaturientem; quid non faciet, si ipsum antiquo suo tenore fluere permiseris? Crede mihi, nunquam cor purum nanciscetur, qui non sensualitatem suam vicerit & domuerit.

M. Dixisti antea virtutes Christi in animo tironum delineatas, in anima adolescentum plenius depingi, quomodo id intelligis?

P. Ubi Christus verè adest, ibi adfunt etiam virtutes ejus; ex illis enim cognoscitur. In tironibus Christus per fidem delineatus est,
ut

ut Paulus ait; Adfunt igitur Christi virtutes contra vitia nostra, v. gr. Temperantia ejus contra nostram intemperantiam, Castitas ejus contra nostras libidines, *acquiescentia* ejus contra varia & vāga nostra desideria, Caritas & Comitas ejus contra nostram morositatem, Mansuetudo ejus contra nostram ferociam iræ, Patientia ejus contra nostram impatientiam, Humilitas ejus contra nostram superbiam &c. Hanc imaginem Christi imprimit Spiritus S. per meditationes piās animo nostro. Sunt enim prædictæ virtutes fructus & signa Spiritus inhabitantis. Sed impressa hæc imago Christi *primò*, ut Sol oriens, in corde monstrat tenebras vitiorum nostrorum; & illas pellere conatur, unde lucta in tironibus: *Deinde*, ut Sol altius surgens, fortiter supprimit eas, & locum tenebrarum luce supplet: *Tandem*, ut Sol luce meridiana, totum animum occupat, perfundit, ornat, ut vir-

tutes undique in verbis & factis externis clarè eluceant , quod fit in adultis. Secundum fit in adolescentibus nostris , qui cogitationes & cupiditates gulosas, libidinosas, vagas, iratas, acerbas, ambiciosas, & id genus alia vitia facilius, quam tirones supprimunt, & non solum supprimunt, sed & earum loco cogitationes & cupiditates bonas, affectus sanctos substituere incipiunt. Extirpatis enim vitiis succedunt virtutes. Et hoc indè, quia Christus in animo ipsorum non amplius jacet vel vacillat, ut infans renellus, sed stat, ut adolescens robustus.

C A P. II.

De beatitudine eorum.

Matth. *Beatus, quem elegisti & assumpsisti; Inhabitabit in atriis tuis, ait Psaltes Ps. LXV. 4. Quia*
a-

adolescentes nostri propius assumti sunt à Christo, & in atrio interiori habitant, forsan beatiores erunt infantibus.

P. Ita : Propius astant aræ, quum sacrificatur ; majorem ergo habent fiduciam & fidei παρρησίαν erga Christum (1. Joh. III. 19, 20, 21. *In hoc COGNOSCIMUS, quoniam ex veritate sumus, & coram illò SUADEBIMUS CORDA NOSTRA. Quoniam si REPREHENDERIT nos cor nostrum quod MAJOR SIT DEUS corde nostro & norit omnia. Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, FIDUCIAM habemus erga Deum. Infantes credunt ; sed nesciunt se credere : Adolescentes credunt, & cognoscunt, sciunt se credere : In illis cor reprehendit cum fidem suam cognoscere, & eâ solari se volunt ; cor contra cognoscit, & condemnat eos, sc. quod non possint esse ex veritate, quia adhuc per imprudentiam & impotentiam ad peccata abripiantur. Unde*

difficulter in tentationibus sibi ipsis persuadent, quod verè credant. Indigent igitur manuductoribus, qui erigant, qui Christum per tentationes ereptum in memoriam revocent, his forte verbis, quibus utitur S. Joh. alibi: Filiole mi, hæc scripsi tibi, ne pecces: Si vero forte peccaveris, per carnis impetum abreptus, cogita, te habere Paracletum apud Patrem, Jesum Christum, Justum, &c. huic crede. Et licet tu nescias, te credere, DEUS tamen novit: DEUS enim est major corde tuo, novit omnia; & hoc ipsum, quod verè credas, etiam suo tempore tibi ostendet. Hoc interim scias, quando cor tuum te condemnat, ob peccata tua, tunc DEUS te absolvit. Qui enim se ipsum humiliat, illum Deus extollit, & qui se ipsum extollit & absolvit, illum DEUS damnat. &c. His atque aliis verbis vix demum persuadetur cor *reprehendens* in Infantibus. Sed *in his* nempe

a-

adolescentibus nostris est cor *non reprehendens*, quia non amplius ita crebrò ex imprudentiâ & infirmitate labuntur, si scil. datâ majori gratia rite utantur, & contra peccata diligentius vigilant, iisque fortius resistant. Si vero contigerit eos cespitare vel labi, possunt seipso erigere, & cor suum *reprehendens* facilius *persuaderi* coram DEO, unde habent majorem *παρρησίαν* fidei, quàm infantes. Si enim cor nostrum non condemnat nos, habemus fiduciam ad DEUM.

M. Sed annon hoc unico saltem beatiores, quod propius astent ara, & majorem habeant fiduciam?

P. Imò, cùm sacrificia comburantur, magis incalescunt igne divino, qui absumebat omnia sacrificia, quem ob id assidue in templo asservari jussierat DEUS.

M. Non intelligo, quid velis?

P. Hoc volo. Sicut victimæ in atrio primò mactatæ, in atrio secundo quandoque comburebantur:

Ita concupiscentiæ illic mactatæ, hîc igne amoris divini exurendæ sunt, ut cor ab iis penitus purum fiat. Aliàs, si jugulatæ remaneant in animo, vel statim reviviscunt, vel Christum foetore suo abigunt, quod valde periculosum. Supposito igitur igne divini amoris exurendæ sunt, ut cor mundum fiat. DEUS est ignis consumens: Nisi patiaris ipsum igne amoris sui consumere pravitates animæ tuæ, ipsam olim animam consumet igne furoris sui.

M. Nondum percipio mentem tuam.

P. Id innuo. Christus est lux lucens & ardens. Quia igitur in hoc atrio animam nostram propius assumit, magis illa incalescit ardore charitatis. Major hîc est charitas, quàm apud tirones.

M. Sed unde hoc probas?

P. Perpende, quod antea afferbamus ex Eph. III. 17. in charitate roborati & fundati, sc. quando interior homo in virtute roboratur.

tar, quando Christus cor propius inhabitare incipit, tunc incipimus fieri in charitate radicati: fundati verò erimus in altio tertior. Animus infantum corripitur ab amore Christi; Animus adolescentum radicatur in amore Christi: Illic plantatur; hic radices agit charitas, quâ Christum diligimus, seu potius ab ipso diligimur, & propter Christum proximum: Illi crescunt in agnitione veritatis & odio peccati; Hi in confirmatione, & amore justitiæ: Illi urgentur odio, ad supprimendum peccatum; Hi amore ad exercendam justitiam. Liberati autem à peccatò servi facti estis justitiæ Rom. VI. 18. Non potest animus servire justitiæ, nisi liberatus à dominio peccati. Illi in Spiritu charitatis vivunt, Hi in eodem incipiunt ambulare, & ex parte faciunt, quod illi facere volunt & conantur: Adest ergò nostris major charitas, unde opera charitatis promanant. Sed & adest major tranquillitas animi.

Mi.

M. Unde hoc?

P. Considera vocabulum *CRUCI-FIXERUNT*: Gal. V. 24. *tirones appetitus cruci affigunt*; *Hi jam affigere*. Illis sæpius elabuntur, iterum comprehendendæ & affigendæ; Unde crebriores turbæ in animo. His non nisi rarò resiliunt, facilius autem rursus comprehendi, & fortius sub imperio renatæ voluntatis contineri possunt, unde major tranquillitas. In atrio hoc secundo tanquam in secessu cordis interiori majus silentium, rariores strepitus. Perpende quoque illud *vicistis*, quod D. Joh. ait de *adolescentibus* I. Joh. II. 13. Pleniorē victoriā sequitur pax plenior. *Filii* etiam habent pacem Christi, quando *appetitus* fortiter reluctati, eos profligarunt. Sed quia vires hostis non adeo attritæ sunt; sicut in atrio secundo, ubi Christus est robustior, non tantam habere possunt pacem, quantam *adolescentes*. Illic pax Christi animo facilius eripitur,

dis-

difficilius restituitur ; Hic ægrius turbatur , facilius componitur animus ; si tamen adsit labor & vigilantia custos ; Alioquin & hîc pax penitus amitti potest. Pax enim custodit animum ; sed ipsa custoditur tum labore & sedulitate in bonis operibus vocationis nostræ , tum vigilantia & attentione in precibus pro malis auferendis & bonis conferendis & augendis.

M. *Forſan putas majorem quoque attentionem in precibus hîc adesse ?*

P. Ita exiſtimo. Ubi major fiducia credendi , ibi & precandi. Unde S. Joh. ait , I. Joh. III. 22. *Fiduciam erga Deum & ſi quid peccamus , accipimus ab illo.* Id. V. 14, 15. Ubi major vis ignis , ibi ſuffitus crebriores & craſſiores : ſuffitus ſunt preces ſanctorum. Apoc. VIII. 3. *Indurate in precibus vigilantes in illis in gratiarum actione.* Plus eſt perdurare plus vigilare , quam ſimpliciter precari. Infantes precantur ; Adoleſcentes attendunt & vigilant
in

in precibus: Adulterper totam noctem perseverare possunt in precibus, sicut Salvatorem legimus aliquoties fecisse. Extra templum preces saltem sunt *in ore*; In templo verò *in corde*, & fiunt in Spiritu & veritate. Sed *incipientes* in templo, in precibus quoque *incipiunt* saltem, carne sæpius interveniente & devotionem facile turbante. *Proficientes* non solum incipiunt, sed & aliquandiu permanent in precibus, & devotionem abruptam facilius redintegrant. *Illi* volunt saltem devote orare; *Hi possunt* jam aliquid orare, & majores vires in Spiritu precum optant. *Illi* suspiriis saltem seu precibus jaculatoriis propter impetum carnis uti coguntur. *Hi* precibus *intensioribus* uti possunt, si serio vigilare in precibus velint. Cum ergò majorem fiduciam, caritatem, tranquillitatem, devotionem habere possint nostri in atrio hoc secundo, quis non beatiores pronunciet? Plura sunt, quæ illos bea-

beatiores faciunt; sed hæc jam sufficient. Præstat hanc beatitudinem in corde experiri, quàm prolixè recensere.

CAP. III.

De Defectibus, impedimentis & periculis eorum.

P. Ant. Quamvis egregie proficiant nostri in atrio hoc; in multis tamen adhuc deficiunt, & si hîc subsistere & ulterius pergere noluerint, non solum ad priorem ignorantiam & impotentiam relabi, sed & penitus excidere, & evomitæ peccati sordes resorbere possunt.

M. Unde hoc?

P. Quia nondum omnia inquinamenta effugerunt. Expulerunt quidem *contaminationem carnis*, sed nondum *contaminationem Spiritus*, quæ ut subtilior, ita periculosior est; ut

ut Deus majorem gratiam dedit; ita majore diligentia & solertia ipsum expelli voluit.

M. *Qua autem est ista contaminatio?*

P. *Spiritus* est ratio: quid enim aliud est anima, quam *Spiritus* rationalis, cui Deus olim impressit imaginem suam, jam proh! amis- sam, sed per gratiam reparandam? Inquinamenta ergo *Spiritus* esse possunt defectus, qui in ratione à concupiscentiis liberatâ & in thronum suum Regium collocatâ supersunt, antequam sanctificatio perficiatur. Et hi nisi corrigantur, periculosiores sunt.

M. *Quare?*

P. Plus nocent vitia regum, quàm subditorum. Ratio est *Rex*, *regendus* à Spiritu S. & *regens* appetitum interiorem & totum corporis statum. Jam si destituat hîc *Rex* suum Regem; si detrectaverit sequi ductum Spiritus Sancti, quæ non inde vitia, quæ non pericula

cula metuenda? Novimus enim rationem sibi relictam, quò subtiliora, & perniciosiora in Spiritualibus seu divinis operatam esse: Et quando respuit ductum Spiritus S. humilem & planum, suscipit ductum Spiritus tenebrarum superbum & sinuosum. Unde *malignitates Spirituales in sub cœlestibus*, contra quas nobis, teste Apostolo, luctandum. Oriuntur hæ Spirituales nequitiae tandem ex his inquinamenti rationis, seu defectibus, quando in sanctificatione ulterius pergere nolumus. Ut enim coelum perpetuo motu gaudet, ita animus: si non progreditur, retrogreditur; In eodem statu diu non consistit. Si non semper proficit in melius, deficit in pejus. Et qui in bono excellere poterat, cum subsistit & relabatur, excelsit in malo. Periculosum ergò est hîc subsistere.

M. *Sed unde periculum hoc, cum ratio jam sit illuminata & beneficio Spiritus S. didicerit appetitus domare?*

P.

P. Adest quidem lumen cum viribus gratiæ contra vitiositatem appetitus inferioris, sed nondum contra superioris confusionem quod intertio atrio solet dari; Igitur eò tendendum! Imprimis oritur hîc periculum à Phantasia, quâ tanquam famulâ utitur Ratio in rebus cognoscendis & dijudicandis. Sed est famula perfida quæ Appetitui sensitivo nonnunquam plus favens, rationem falsis opinionibus occæcare conatur. Præterea est vaga, inquieta, inconstans, novitatis avida, garrula, animum multis sæpe ineptiis & fabulis replens. Nisi igitur domitâ sensualitate etiam hujus famulæ licentia & evagatio contineatur, totum animi regnum jam aliquo modo reparatum facile turbari & everti potest. A vitiosâ & garrulâ linguâ unius famuli vel famulæ totas domos, tota imperia turbata & everfa esse, rerum humanarum perito ignotum non erit. Compescenda ergo est Phantasia,

ut,

ut, cogitationibus circa necessaria & utilia occupatis, ad superflua & otiosa non excurrat, sed sub moderamine Prudentiæ seu judicii discretionis se contineri patiatur. Quod quàm sit difficile, experiuntur, qui in hoc statu versantur.

M. Vellem libenter audire, quomodo evagetur, & quæ inde pericula metuenda?

P. Id dictu perquam operosum est; cum momento citius se subducere & in varia diffundere possit. Quemadmodum autem vagus ardellio semper nova, rarò vera & utilia; Ita Phantasia in varias rerum species diffusa rarò utilia, plerumque futilia refert. Dabo tamen pauca hujus evagationis exempla, in iis gratiæ dotibus, de quibus antea locuti sumus, ut hinc cetera con-jicere possis.

M. Diximus, nostros in hoc atrio habere firmiorem agnitionem veritatis & majorem fiduciam erga Christum.

P.

P. Rectè mones: Circa hanc evagatur Phantasia (1.) curiositate, plura scituriens in Spiritualibus, quàm pro statu suo capere potest.

M. *Sed curiositatem puto esse vitium eorum, qui extra templum in turribus stantes solâ se scientiâ, sine experientia, in rebus sacris pascunt.*

P. Datur Curiositas extra templum, seu Scripturas sacras, in rebus mere humanis & naturalibus; & est eorum, qui naturæ abdita scire se jactant. Datur Curiositas circa templum, & est eorum, qui cupiunt in rebus ad salutem non necessariis super ea, quæ scripta sunt, sapere. Datur quoque Curiositas in templo in studio sanctitatis, cum scilicet animus non per gradum ascendere, sed præmaturè ad altiora evolare, seu ante tempus in Sacrarium DEI irrumpere cupit. Quod quam sit periculosum; disci potest ex exemplis Israëuitarum ad montem Sinai, quos Deus jubet arceri, ne irrumpant ad videndum

Do-

Dominum & pereant; & Bethsemitarum, qui è curiositate irreverenti arcam aperientes inspexerunt, & ob id subitâ clade interierunt: Ita & nostris è curiositate ex hoc atrio in tertium properantibus Porta clauditur, ne irreverentius irrumpant in sanctuarium DEI, nondum eò vocati. Huic evagationi nisi resistatur, fiducia facile degenerat in temerariam confidentiam, quæ tollit omnem reverentiam filialem & divinæ sanctitatis ac majestatis respectum. Atque hoc contra monita Apostolorum jubentium *in timore Dei* continuare sanctificationem, *cum timore & tremore* operari salutem, *cum pudore & reverentia* DEO servire, Hebr. XII. 28. *In timore incolatus vestri tempore conversari.* I. Petr. I. 17. Nimia filiorum confidentia fit protervia, Parentibus displicens. (2.) Evagatione hâc ad superiora repressâ, facile evagatur ad inferiora, & ibi in sordibus Mundi relictis diutius

G

hæ-

hærens inquinata redit , animum
 vel invitum inquinans. Sicut Dina
 è tabernaculo Patris Jacobi egressa,
 è curiositate visura secumque colla-
 tura filias istius loci , an pulchritu-
 dine sibi pares essent , amisit , etsi
 invita , virginitatem suam. Gen.
 XXXIV. 1. Ita Phantasia ad alios
 vel intra vel extra templum , quos
 inferiores putat , cogitationibus
 suis egrediens , eorumque statum
 cum suo statu conferens , facile cor-
 rumpit animi puritatem , eumque
 etsi reluctantem vano *proprii amoris*
 tumore implet. Scientia , imprimis
 quando (actu reflexo) seipsam cog-
 noscit , facile inflat. I. Cor. VIII.
 1. Licentiam hanc noxiam Phan-
 tasie evagantis , etsi difficulter , ne-
 cessariò tamen reprimere debemus
 & possumus , si diligenter contra
 nos ipsos vigilare & gratia datâ rite
 uti volumus.

M. *Ajebas etiam , nostros hic ma-
 jorem habere charitatem ad facienda
 bona opera , seu implendam legem :*
 Cha-

Charitas enim est impletio legis : Rom. XII. 10. Annon & hic periculose evagatur Phantasia?

P. Omnino : sentiens enim vires concessas , animum abripit à dextris ad nimiam presumptionem , ut animus sibi ipsi placens alios tanquam infirmos despiciens , suis viribus nitens majora aggrediatur & sic impingat & labatur. Hoc enim firmis & robustis in fide & charitate facile contingit , ut sibi ipsis placentes , aliorum infirmitates despiciant contra monitum Apostoli Rom. XIV. 1. A dextris nimio pudore repressâ Phantasia , animum facile à sinistris abripit ad segnitiam & torporem.

M. Claudus à Petro & Johanne sanatus legitur in templo ambulare & præ latitiâ saltasse seu subsiluisse , quod verum ire posset.

P. Opportune hæc suggeris ; Ita Adolescentes nostri nimium placentes sibi viribus ad ambulandum concessis , quas infantes nondum

habent, *inequaliter ambulant*, modo saltant, modo vix repunt; mox *nimis festinanter* currunt, putantes se posse, quod nondum possunt; Mox Lapsi & surgentes *nimis negligenter* ambulant. Etsi *viam ambulandam* non excedant, *modum ambulandi* tamen excedunt. Affectus à vitiis purgati, *ordinati* quidem, nempe ad legitimum objectum, sc. operationem justitiæ, sed nondum *moderati* sunt, dum hîc nimis præcipientes, illic nimis segnes sunt in exequendo bono proposito; Velut navis à vento, modo impetuosius, modo segnius agitur. Defectus hic etiam corrigendus est, ut possit Salvator de nobis verè dicere. Cant. VII. 1. Quam pulchri sunt gressus tui in calceis tuis, filia Principis, seu filia Spontanea? Utrumque hîc observandum, & quod spontè, & quod pulchrè seu decenter & rite in viis Domini ambulare & ipsi obedire debeamus.

M. Sed quid nocet ejusmodi *inequalitas in ambulando*? P.

P. Nisi corrigatur, impedit & evertit totum cursum nostrum in cancellis pietatis, ut neutiquam assequamur *premium*. Quod quam sit periculosum monet Apostolus inquires: *ita currite, ut accipiatis.*

CAP. IV.

De impedimentis & periculis aliis.

P. Aul. Nondum enumeravi omnes circa studium bonorum operum Phantasiæ evagationes.

M. *Quæ ergo restant?*

P. Multa, sed unicum hoc addam, quod circa labores nostros, cum ea, quæ functio nostra requirit, sedulo facere conamur, sæpius ad futura supervacuâ sollicitudine excurrat.

M. *Quomodo id intelligis?*

P. Debebamus cogitationes saltem intendere ad opus præsens; an verè bonum sit coram DEO; an

bene quoque & fat recte id agamus juxta normam verbi divini &c. Sed Phantasia extendit hâc cogitationes ad futuram operis mercedem, ad hominum de eo judicium, quid homines hoc de opere sint judicaturi, an laudaturi, an vituperaturi sint? Sic Minister verbi circa concionem sæpe non cogitat, an recte loquatur, prout decet coram DEO; sed quid homines de concione sint judicaturi &c.

M. Sed quid nocent hæ cogitationes?

P. Valde: Hæc enim ratione animus vel vanâ spe & cupiditate laudis, vel vano metu contemptus humani impletur, & corrumpitur recta intentio, quæ in omnibus unicè Deum, non homines respicere jubet, & sic facilis est prolapsus ad Hypocrisin. Castiganda ergo hîc est cogitationum licentia, ut mancant in circulo suo cogitationes nostræ, rebus præsentibus infixæ, Tu præsens cura, Domino committe futura.

M.

M. *Ita nec ad præterita licebit ex-
spatiari.*

P. Licet, sed ita ut examinemus opera nostra, deprehensas aberrationes correcturi. Semper enim restant in operibus nostris corrigenda, quæ melius, postquam fecimus, quam cum facimus, animadvertimus. Ita licet nostris ad atrium primum reverti, & defectus multiplices circa luctum & odium peccati examinare; Inde redibunt & prudentiores erga se & gratiores erga Deum: sed ad atrium intimum non licet properare. Mens enim de futuris nimis sollicita vel vanis desideriis, vel vanis timoribus seipsam turbat & sua tranquillitate privat. Unusquisque sicut vocatus est, ita ambulet.

M. *Annon & circa tranquillitatem periculose errare potest Phantasia?*

P. Quid ni? Modò enim nimis præmaturis proficiendi desideriis animum turbat, modò nimium placens sibi in statu suo, à verâ

tranquillitate ad securitatem & negligentiam periculofam delabitur. Debemus quidem femper incrementa pietatis defiderare, fed ita, ut idipfum divino arbitrio relinquamus, quodocunque ipfi vifum fuerit ad altiora nos provehere. Interim attendamus lectioni, meditationi, & omnibus operibus vocationis noſtræ. Debemus etiam nonnunquam grata mente recolere gratiam nobis datam, & eâ contenti, gratias agere & humiles eſſe coram DEO, cogitantes: Minor ſum Domine, omnibus miſerationibus tuis. Libenter malo minimus eſſe inter ſanctos tuos, modò mihi locum in conſortio tuo ſanctiſſimo Gratia & Gloriæ conceſſeris &c.

Sed cavendum, ne acquieſcentia hæc degeneret in pigritiam & acediam. Ut dona terrena DEUS non dat propter laborem, ſed nec ſine labore: Ita dona ſpiritalia dat gratis: ſed non otioſis, verum diligentibus, non deſperantibus, ſed petentibus & ſperantibus, non

ſub-

subsistentibus, sed pergentibus in sanctificatione. Valde periculosum est subsistere; si dixisti, sufficit, periisti. Timidorum, qui labores & molestias in opere sanctificationis subterfugunt, & de incremento desperant, pars illorum erit in lacu ardente igne & sulphure. Apoc. XII. 8.

M. Ergo & hic continenda est Phantasia: Sed quid de precibus ais, quas variis saepe cogitationibus peregrinis interrupt Phantasia?

P. Hic maxime vigilandum esse puto. Vix enim describi potest, quanta hic licentia evagetur, quam variè, quam facile animum distrahat, & ad orandum prorsus ineptum reddat.

M. Sed quid nocet; dummodo recolligamus nos in precibus? DEUS has infirmitates facile remittit propter Christum.

P. Imò maximè nocet. An putas DEO placere, quod animum inter orandum ab ipso avertamus, mox convertamus, & rursus avertamus?

tamus? Annon nocet, DEO displicere? Et quid periculosius est, quàm hoc floccifacere, maculas suas videre & abstergere nolle? Annon sic ad contemptum DEI fenestra aperitur, cum infirmitates agnitas corrigere nolumus? Vult quidem ea tolerare Dominus noster, sed aliquandiu, non semper. Ideo vult ulterius ducere in sanctificatione, ut sistat sibi Ecclesiam *minime habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta & immaculata. Eph. V. 27.* Nisi volueris hîc sanctificari, non poteris ibi glorificari: Hic omnes peccati maculæ abluendæ; in coelestem enim Hierosolymam nil immundi intrabit. Notanter ait Salvator ad Petrum: Nisi te laverò, non habes partem in me.

M. *Sed quomodo evitabis peregrinas inter prandium cogitationes?*

P. Vigilantiâ. Audi Salvatorem: Vigilate & orate. Non potes orare, nisi volueris vigilare &

& cordi tuo accurate attendere.

M. *Nondum id datum est mihi.*

P. Ergo pete & dabitur tibi, ab eo, à quo omnia divina virtutis ad vitam & pietatem dona pro-
veniunt. *II. Petr. I. 3. 5.* Paratior est ad dandum, quam tu ad accipiendum. Nil tibi deerit, dummodo in hoc volueris omnem solitudinem adhibere.

CAP. V.

De Adminiculis pergendi.

Matth. *In hoc atrio habitabunt Levitæ, ita dicti ab adjuugendo vel adharende, quod adjuncti sint Sacerdotibus in Ministerio sacro, iisque ad-
hærere debuerint.*

P. Ita & nostri adolescentes ad-
jungant se Adultioribus, in atrio
intimo habitantibus, & illinc de-
scendentibus ad informationem po-
puli, adjungant se in docendo, &

constanter adhæreant Christo, ejusque doctrinæ, si voluerint pergere & proficere. *Id cura, in his esto, ut perfectus tuus manifestus sit in omnibus.*

1. Tim. IV. 15. Ita Timotheus fuit adjunctus Pauli, & cum ipso docuit gentes; Unde egregiè proficiebat, adeo ut Paulus ipsum tandem juxta se collocarit, ut patet ex inscriptione Epistolæ ad Philippenses. *Phil. I. 1.* Qui quotidie cum sanctis conversatur, sanctior fieri potest.

M. Levitarum fuit ministrare Sacerdotibus, & informare populum.

P. Ita nostri conversari debent eum Perfectioribus & imperfectioribus. Ut ab illis discant; ut hos doceant: Illud tollet *amorem sui*. (Haut facile se putat perfectum, quia alios videt & agnoscit perfectiores) Hoc tollet negligentiam. Qui docet, discit.

M. Sed hoc in V. T. quidem ita constitutum erat; at in N. T. aliam habemus constitutionem, nempe,
DEUM

DEUM legem suam cordi nostro inscripturum esse, ut non opus sit, quemquam docere proximum suum, aut fratri suo dicere: cognosce Dominum. Fore enim, ut omnes, tam parvi quam magni, DEUM sint cognituri.

P. Bene, & hoc indè, quia DEUS olim legem suam tabulis lapideis inscripserat, unde magno & indefesso docentium & discensium studio cordi inculcanda erat, & vix tandem satis feliciter hærebat. Operosum est lapidi aliquid insculpere. Jam vero sub N. T. legem suam cordibus per Spiritum sanctum inscribere vult, & ablato per doctrinam legis corde duro, seu σκληροκαρδία quam in Judæis toleraverat, dare vult cor carneum seu molle, cui doctrina Evangelica facile imprimi potest per Spiritum S. Omnes enim verè credentes accipiunt Spiritum S. qui cor lapideum conterit & præparat, ut doctrinas cœlestes inbibere possit.

fit, & quæ exterius dicuntur & audiuntur, interius in corde Spiritus S. per vivam fidei experientiam obsignat. Ita ut jam magis solliciti esse debeamus de legis per Spiritum S. inscriptæ conservatione, quam de ejusdem inscriptione. Unde S. Joh. ait I. Joh. II. 27. *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium, & sicut docuit vos manete in illò.* Scilicet non tam docendi, quam monendi sunt Christiani, unde D. Petrus ait: II. Pet. I. 12. *Non desinam vos semper commonere de his, & quidem scientes & confirmatos in presenti veritate. Fastum autem arbitrator, quamdiu, sum in isto tabernaculo suscitare vos in commonitione.* Lex cordibus inscribenda requirit doctrinam, qualis in V. Test. erat perpetua, unde V. T. fuit Pædagogia ad N. T. Sed postquam, peractâ hâc in Catechumenis Pædagogia, lex per Spiritum S. jam

cor-

cordibus est inscripta & infixa, non tam *doctrinam*, quam *patientiam* requirit. Ut enim fides citharæ leviter pulsatæ resonant; ita virtus Spiritus S. inhabitantis admonitionibus vel leviter tacta excitatur & erigitur. Fides N. T. respuit Doctoris superbi supercilium, admittit monitoris amici ac humilis consilium, quia nullum superiorem Doctorem agnoscit, quam Spiritum S. in verbo suo, cui libere obedit.

M. *Sed quid inde sequitur?*

P. Hoc sequitur, quod in N. T. verbum DEI non solum auribus percipi, non solum cogitationibus aliquando volvi, sed cordi penitus inscribi debeat, nempe per crebras meditationes. Et hoc quando fit, certi sunt Christiani de Spiritu S. assistente & obsignante, & tam prompti & expediti redduntur, ut ipsi e verbo Divino DEUM agnoscere & colere possint, & non egeant semper Doctore, sed primò
ma-

manuductore, deinceps monitore, ut lex cordibus inscripta, seu fides conservetur & augeatur. Atque hinc vides, quomodo Levitæ nostri cum iis, qui sunt intra, conversari debeant, nempe cum inferioribus, ut manuductores & Catechetæ; cum paribus ut monitores & amici; cum superioribus ut discipuli.

M. Annon ad eos qui extra sunt, egredi possunt, sc. hoc consilio, ut eos convertant, & in templum secum adducant?

P. Possunt, sed rarius id suaserim.

M. Quare?

P. Infantibus plane non suaserim; quia blanditiis & convitiis mundi facile abripi, & citius ipsi perverti, quam alios convertere possunt: Adolescentibus rarius suadeo, quia nimis crebrò & familiariter cum profanis conversantes facile ipsorum contagio infici possunt; Sacra non tam cito sanctificant profana,

fana, quam profana polluant sacra: Sed adulti jam confirmati contra inquinamenta mundi sæpius templum egredientur, urgente amore Christi, & aliorum conversionem docendo & monendo tentabunt.

M. Sed anne necessarium est alios monere? sufficit de nobis ipsis sollicitos esse?

*P. Sufficit infantibus, qui propterea templum ingrediuntur & in atrio primo habitant, ut à vanâ de aliorum salute solitudine abstracti, de propriâ salute solliciti esse discant. At Adolescentibus & adultis salutis suæ certis non sufficit. Sed aliorum quoque salutem quærere his necessarium, illis utile est. Necessarium propter monita Apostolica Phil. II. 4. *Non quæ sunt sua, singuli considerantes, sed & quæ aliorum.* I. Thessal. V. 11. *Consolamini Vos invicem & edificate in illum unum.* &c. Necessarium est ad exercendam Charitatem, quæ jubet*

bet quærere *quæ sunt Christi*. Et quomodo dices, te amare JESUM; si non vis pascere ejus agnos & oves *Joh. XXI. 15, 16, 17.* si non adductus studes & alios ad Jesum adducere, exemplo Andreæ & Petri? *Joh. I. 40, 41.*

M. Sed quid si monita respuant?

P. Qui sunt intra, monita non respuent. Hæc enim est *communicatio Col. II. 19. Eph. IV. 16.* spiritualis membrorum Christi, ut monita invicem libenter suggerant, libenter suscipiant: Qui spernit monita è Scripturis sacris, nondum est *συμβιβάζόμενος* seu insertus corpori Christi, & cum ceteris membris uno Spiritu combinatus. De iis verò, qui sunt extrà, non est protinus desperandum, etsi semel respuant, iterum iterumque sunt tentandi, seu cum mansuetudine & prudentia *erudiendi*, num forte Deus velit dare poenitentiam ad agnitionem veritatis. &c. II. Tim. II. *Es, illis qui sunt foras competit & audeat,*
In-

Informatio : *qui sunt intus vero, videria, admonitio.*

M. *Quid autem prodest illos informare velle, qui omnem informationem respuunt, & sibi jam sapiunt, vel quid prodest illos monere, qui jam sciunt, vel ductu Spiritus S. è Scripturis scire possunt? Illic frustraneus, hic supervacuus est labor noster; Annon igitur supersedere eò possumus, praesertim cum malam nobis famam in mundo, nempe arrogantia & ambitionis conciliet?*

P. Supersedere non possumus, quia DEUS praecepit: DEI verò praecepta propter mundum contradicentem non sunt negligenda hominibus placentes non possunt esse servi Christi Gal. I. 10. Et quamvis admonitio nostra non profit aliis; prodest tamen nobis. Utile ergo est Adolescentibus nostris quandoque illos *qui sunt foras* informare velle, ut discant prudenter & placidè erudire, & aliorum contradictiones patienter ferre; Sic
cre-

crescent in prudentia, mansuetudine & patientia Christi. Utile est illis qui sunt intus monere velle, si proficient in vigilantia, & dum alios excitare volunt, seipsos excitabunt: In his autem crescere omnino debent, si ulterius pergere velint.

C A P. VI.

De Adminiculis aliis.

Matth. *Quid in Levitarum Ministerio praterea considerandum?*

P. Sedulitas. Ita nostri Adolescentes seduli, prompti & parati sint aliis inservire; Sic crescent in Charitate. Salvator noster adeo sedulus fuit in docendo, adeo promptus ad benefaciendum, ut cibum, potum, quietem & alia corporis commoda nonnunquam negligeret, ut homines putarent ipsum hos labores non diu ferre, nec sanæ mentis

tis

tis manere posse: *Joh. IV. 31. seq.*
Marc. VI. 31. III. 20, 21. Imitentur nostri sedulitatem ipsam, non circumstantias.

M. *Sed corpori dandus est honor suus ad saturitatem Col. II. 23. ne nimis laboribus fatigatum deficiat.*

P. Rectè! Corpori indulgendum, sed non serviendum. Utrumque extremum cavendum, ne nimium indulgeas, neve nimium deneges corpori. Sed ab hoc non tantum periculi est, quantum ab illo: Rarò enim videbis his temporibus, qui corpus propter pietatem nimis macerent. Plures videbis in curâ corporis & studio propriæ commoditatis nimios.

M. *Quid hoc nocet?*

P. Impedit incrementum præsertim in charitate. Dum enim propriis commodis nimium studes, perit charitas & promptitudo aliis inserviendi. Quicquid facis, obiter saltem, moris & honoris ergo facies, cum tamen omnia nostra in
cha-

charitate & quidem operosa fieri debeant. I. Cor. XVI. 14. I. Theff. I. 3. Charitas quæ operosior, eò promptior & quo paratior, eò gration.

M. Imò libenter nonnunquam servirem, dummodo scirem officia mea grata fore.

*P. Et hîc castiganda est curiositas Phantasiæ. Quid attinet cogitare, an hominibus grata vel ingrata futura sint, quæ ex præscripto DEI facturi sumus, cum non hominibus, sed DEO nos servire credamus; cum non hominibus sed Christo placere cupiamus. Eliminandam est igitur tam amor sui proprium quærens commodum, quam hominibus placendi inclinatio, humanam respiciens laudem; quia illa impedit, hæc inquinat charitatem, & expectanda est laus, quam Christus in coelis reservat, & olim die extremo dabit. *Honorem ambientes Domino bene placere. II. Cor. V. 9. Est ambitio alia in filiis mundi, alia in filiis DEI. Illi honorem mundi, lau-**

laudem humanam tanquam summum bonum summo studio quærunt ; Hi laudem apud Christum in cœlo repositam summo studio quærunt. Studeamus igitur hominibus fervire , sed Christo , non hominibus placere. Studeamus *in humilitate* , propter Christum omni laude & solatio carere parati ; studeamus *in sedulitate* , non nostra saltem , sed & quæ sunt proximi spectantes. Ita proficiemus in charitate ; ut enim tironibus in agnitione , ita Adolescentibus in charitate crescendum.

M. De Levitis insuper legimus , quod fuerint vigiles & custodes Templi.

P. Vigilantia eorum hæc fuit , primo , claudere portas.

M. Anne idem de nostris dices ?

P. Maximè. Portas claudunt nostri , quando sensus exteriores probe observant , & abstinēt ab omnibus voluptatibus carnis & illecebris Mundi. Avertendi sunt oculi,

li, ne videant ; avertendæ aures, ne audiant vanitates.

M. *Quare sc̃? Numne prohibitum est admittere recreationes licitas & honestas?*

P. Omnia quidem licent , sed non omnia conducunt. Nisi oculos & aures, ceu præcipuas animæ portas, diligenter custodieris, facile inquinabitur animus & periclitabitur temperantia & vigilantia.

M. *Ubi reperies tales abstemios?*

P. Anne legisti de Rechabitis, qui propinatum à Jeremia in templo vinum bibere noluerunt *Jerem. XXXV. 6.* Annon illud laudatur à DEO? Recte igitur abstinent à vino & voluptatibus etiam licitis, qui in templo degere, & in studio sanctitatis pergere volunt. Huc refer, quod DEUS Sacerdotibus templum ingressuris vinum & tementum prohibuerit. Scilicet displicet DEO & impedit sanctificationem nimius voluptatum carnalium usus,
et-

etiamsi noveris moderatè uti. Quis non sperneret sordidas corporis voluptates, cum DEUS meliores in templo animæ ad sanctitatem tendenti reservârit?

M. *Quid prodest ejusmodi Sobrietas?*

P. Promovet vigilantiam Adolescentibus nostris proficientibus summe necessariam. *Estote sobrii, vigilantes.* Qui sobrius esse non vult, vigilare non potest. *I. Pet. V. 8.*

M. *Quid porro ad vigilantiam Levitarum requiris?*

P. Eorum fuit non solum portas claudere & aperire, sed & intrantes dignoscere & profanos arcere.

M. *Quid hoc?*

P. Ita nostri vigilent super cogitationes in animo orientes & discant non solum bonas à malis, sed & utiles & necessarias à frivolis & non necessariis discernere, sanctas retinere & fovere, profanas arcere & expellere.

H

M.

M. *Quid hoc proderit?*

P. Ita accipient habitum Hebr. V. 14. Et per habitum sensus exercitatus ad discretionem boni ac mali, quod est perfectorum seu adultorum.

M. *Quid autem noceat vanis & supervacuis cogitationibus indulgere?*

P. Anne legisti II. Par. XXIII. 13. de Athalia Templum furiosè ingrediente, & seditionem excitare conante; quod & fecisset, nisi Jojeda Pontifex eam prudenti consilio templo ejectam occidi curasset? Ita vanæ cogitationes facite tyrannidem concupiscentiarum vix domitam reducere, seditionem excitare & bonæ inchoatum in animo regnum DEI evertere possunt, nisi contra eos vigilare easque animo expellere velimus. Sic ergo vigilandum, ut tam exteriores sensus per abstinentiam, quam interiores per continentiam solcite custodiamus. Atque ita domum DEO benedicente in sanctificatione pargere, & per portam ardentibus precibus, de-

desideriis & suspiriis pulsata, à
 DEI misericordia & benignitate a-
 pertam, ad intimum atrium ascen-
 dere, ibidemque habitare poter-
 mus. Tu verò, Optime Salvator,
 Auge & confirma in hoc atrio se-
 cundo robur fidei & charitatis, su-
 stenta & dirige gressus nostros in
 viis justitiæ, ut neque à dextris præ-
 sumptione, neque à sinistris pusilla-
 nimitate deflectentes, rectà perga-
 mus in sedulitate & vigilantia. *Sup-
 ple defectum fidei, addo & auge nobis
 amorem erga nos invicem & erga om-
 nes, firma tene corda nostra sine men-
 dis in sanctitate, coram Deo & Patre
 Nostro, amemus in omni beneplacito
 bonitatis & opus fidei in virtute quâ
 glorificatur nomen Filium! Amen.*

PARS IV.

De iis , qui sunt in Atrio
tertio seu adultioribus
in CHRISTO.

CAP. I.

De Statu eorum in genere.

M Atth. Replebimur in bonis
domus tuæ: Sanctum est tem-
plum tuum, stupendum in
fustua. Psal. LXV. 5, 6.
*Forſan hæc non male applicantur ad a-
trium hoc intimum?*

P. Ita eſt. Hic ſanctus templi
ſplendor maxime fuit conſpicuus.
Hic ara ænea, columnæ æneæ,
mare ſupra boves æneos, aheni æ-
nei, & cætera admiratu digniſſima
conſpiciebantur. Huc ergo perdu-
ctus animus impletur bonis ſpiri-
tualibus, bonis, inquam, gratiæ,
quæ

quæ in atrio primo desiderabat, ad
quæ in atrio secundo tendebat. Hic
bonum, hic sanctum, hic admi-
rabile est templum.

M. *Quomodo bonum?*

P. Quia DEUS hic implet ani-
mam bonis suis, quantum ic. cape-
re potest in hac imbecillitate. In
atrio primo gustabat animus gut-
tas *unctionis* divinæ & erigebatur.

In atrio secundo sentiebat rivulos,
& confortabatur. In hoc atrio im-
pletur toto flumine bonitatis. Ps.
XXXVI. 9. *Inebriabuntur a pingue-
dine Domus Tua & torrente Volupta-
tis potabis eos.*

M. *Quomodo sanctum?*

P. Hic animus purgatur ab om-
ni inquinamento carnis & spiritus.
Omnis purgatio Veteris Testamen-
ti fiebat per aquam & ignem.

M. *Atqui hac in templo, præsertim
in hoc atrio reperiebantur. Aderat enim
perpetuo aqua in mari aneo & cæteris
vasis, ad ablendas sordes. Asservaba-
tur ignis sacer, ad comburenda Sacrificia.*

P. Ita hîc semper adest aqua poenitentiae quotidianæ ad ablucenda inquinamenta carnis, & ignis charitatis, ad exurenda inquinamenta Spiritus.

M. *Sed quo ordine fit hæc purgatio?*

P. Præcedit baptisnus Johannis, qui baptizabat aqua & Spiritu, sequitur baptisnus Christi, qui baptizabat igne & Spiritu. Aqua crassior, abluit crassiores concupiscentiarum sordes in atrio primo, tum succedit ignis subtilior exurens subtiliora Spiritûs inquinamenta in atrio secundo.

M. *Nondumne sat purus est animus à Concupiscentiis seu vitiosis affectibus purgatus?*

P. Nondum. Ignis fortius purgat aquâ. Perpende Sacrificium Eliæ in monte Carmel. Perfundebatur illud primo aquâ copiosissimâ, quâ, si quid impuri adhuc victimæ adhærebat, facile abluî poterat. Deinde ignis divinitus accedens non
fo-

solum victimam preparatam, sed ipsam aquam devorabat, ut nec guttula in fossis circa aram remaneret. Ita poenitentia tanquam aqua *contaminationem carnis* abluit quidem, sed *charitas* seu ignis *contaminationem Spiritus* exurit, & animum fortius purgat. Aqua impiarum concupiscentiarum ignem restinguit, sed ignis divinus charitatis rursus aquam consumit. Atque sic purgatus animus ingredi potest in sanctuarium. *Transimus per ignem & aquam, & educti nos in refrigerium. Intrabo in domum tuam. Transimus per aquam in atrio primo, per ignem in atrio secundo. Educimur in refrigerio in atrio tertio. Et tunc deum sequitur: intrabo in domum Tuam.* Adeo sanctum est templum.

M. Sed quomodo admirabile?

P. Quia omnia hæc mira sunt, & sanctos huc perductos mirificat DOMINUS, admirabilibus & excellentibus donis exornat, ut aliis

observantibus vitam ipsorum sint admirationi, vel mirabiliter eos in Mundo conservat, ut dicere possint Ps. XVII. 7. *Multis miracula facta sunt, & Tu auxiliator meus robustus.*

M. *Sed quare dicitur templum admirabile in justitiâ.*

P. Quia omnia hîc justo ordine disposita sunt, & legitime fiunt *secundum ordinem & decorum.* In tionibus animus *inordinatus* incipit bene componi. In proficientibus componitur. In adultis jam bene compositus & in ordinem redactus est, ut bona etiam bene, justajute exequi. Et ut omnia hæc legitime fieri possint, ferunt Salomonem hoc atrium ampliâsse, & aream latiore, quam erat in Tabernaculo, fecisse.

M. *Quid hoc?*

P. Denotare potest, quod sub N. T. majorem libertatem Spiritûs habeamus, quam sub V. Test. Illi enim cancellis legis arcte inclusi timidiusculè DEO serviebant; Nos

Nos vero liberiori Spiritu DEO
servire possumus. Quo sanctior a-
nimus, eo liberior obedientia.

M. Unde hoc?

P. Considera illud Pauli Rom.
VIII. 15. *Non enim accepistis Spiritum servitutis iterum ad timorem, sed accepistis Spiritum adoptionis.* Con-
fer & illud: II. Tim. I. 7. *Non enim dedit nobis Deus Spiritum timoris, sed potentia & dilectionis & modestie.* In
servitute est timor. In adoptione est
dilectio. Timor coarctat, Amor
dilatatur cor. Possumus ergo sub N.
T. Spiritus adoptionis & dilectionis,
corde dilatato & ita Spiritu liberio-
re DEO servire.

M. Amor perfectus expellit qui-
dem timorem, sed sine timore facile
degenerat in audaciam & nimiam ac
temerariam confidentiam, quae DEO
displicet.

P. Amor expellit timorem ser-
vilem, retinet cum fiducia simul
reverentiam seu timorem filialem.
Ideo additur & modestia, & Spiritum

zum moderationis ac prudentiæ , qui nos modestos & prudentes reddit. Spiritus S. excitat & auget in corde amorem filialem , & eundem quoque prudenter moderatur. Aliàs cæcus est amor , nisi prudentia eum dirigat. Aliàs noxia quoque est magna libertas , nisi prudentia eam moderetur.

M. Videmus pueras nimiam libertatem sapienter abuti.

P. Ergo Deus sapientissimo consilio non dat Spiritum liberiores , quin simul addat Spiritum prudentiores. Et hoc significat atrium nostrum , quod ut cæteris spaciosius , ita & sublimius fuit. Illud libertatem , hoc prudentiam Spiritus notat. Quo sublimior locus , eò melior prospectus , eò accuratius circumfusa cerni ac dignosci possunt. Unde adulti nostri tanquam è specula totum animi statum contemplari , sensus exteriores & interiores prudenter regere & continere , periculosos animi motus facile præ-

prævidere & præcavere possunt. Quinimo non solum animum prudenter gubernare possunt, sed & totum corpus frangit ducit. Jac. III. 2.

M. Sed sibi saltem, non aliis prævidere poterunt.

P. Imo & aliis. Habent Spiritum non tantum prudentiæ, qui sanæ mentis & prudens est, sed & modestiæ, qui prudentes facit. Tirones sibi ipsis nondum consulere possunt, ideo egent manu ducto-ribus. Proficientes possunt jam sibi quodammodo consulere. Seniores nostri & sibi & aliis consulere possunt.

M. In templo quidem, sed non extra templum aliis consilium dare poterunt?

P. Etiam extra templum, dummodo reciperentur. II. Cor. VIII. 21. *Providemus bona, non solum coram Deo, in templo, sed etiam coram hominibus, extra templum.* Coram his provident vel procurant bona, ut ansam calumniandi præ-

scindant, coram illis, ut ansam ulterius pergendi subministrarent. Omnia sua prudenter moderantur erga Deum, erga seipfos, erga proximum.

M. Sed nostra prudentia DEO displicet. Ipse enim est, qui omnia vult regere & moderari pro arbitratu suo.

P. Non loquimur de prudentiâ carnis, sed Spiritûs, rationis, non sibi relictæ, sed à Spiritu S. gubernatæ, quæ ductum Spiritûs non detrectat, sed sequitur. Et qui displicere potest, quod ipse dedit, ipse facit? Grata est DEO & hominibus Puerorum simplicitas, Adolescentum robur, Senum prudentia.

C. A. P.

CAP. II.

De statu eorum in Specie.

Matth. Vidimus in genere, quomodo hinc impleatur animus bonis donis divina, & quomodo evebatur ad miram Spiritus libertatem & prudentiam, quâ seipsum in donis suis prudenter moderari potest coram DEO & hominibus, ostende jam in specie pleniorē hanc bonorum spiritualium mensuram & moderationem in tribus his donorum sanctificantium capitibus, Fide charitate, spe. Col. I. 4, 5.

P. Stabat hinc ara ænea magna in usum Sacrificiorum; Ita adest major fides in Christum.

M. Fides locum habet partim in intellectu, partim in voluntate. In intellectu est γνώσις seu agnitio, in voluntate πεποιθὴς seu fiducia.

P. Recte. Ita hinc major est agnitio. Scribo vobis, Patres, quas cognovistis illum ab initio. I. Joh. II.

13. Patres in cognitione Christi penetrant usque ad *initium*, ubi *verbum* erat apud Deum, ubi omnia per ipsum creata sunt, quò tirones & adolescentes penetrare nondum possunt, seu Patres possunt cognoscere sanctitatem & rectitudinem animi primitus in integritate creati, quod ceteri mente suâ affectui nequeunt, vel si cupiunt, varios & vanos sibi conceptus fingunt.

M. Sed omnes tendunt ad illam rectitudinem, qui sunt in templo.

P. Tendunt, sed non intelligunt recte, nisi cum hâc pervernerint. Alias habemus imaginationes de urbe quâdam, cum ad eam tendimus. Alias, cum urbis summa & turrium fastigia primo conspiciamus. Alias iterum cum propius accessimus, & urbs est eadem. Sic coelum est idem, sed alias pueri, alias adolescentes, alias senes de ecclo habent cogitationes. Ita ad eandem omnes tendimus imaginem divinam.

vinam per lapsum amissam, sed quo propius accessimus, eò melius eam cognoscimus. Habent nostri pleniorē agnitionem Christi, habent & pleniorē agnitionem sui. Utraque agnitio simul crescit. Cognoscere possunt non solum seipsos, sed & alios, quousque in sanctificatione pervenerint. Cognoscere possunt in verbo DEI non solum credenda, non solum facienda, sed & Mystēria.

M. Sed quid cognitio sine moderatione?

P. Imo possunt hanc cognitionem prudenter quoque moderari, ut maneat intra limites verbi scripti, & modestiæ. Possunt Intellectum continere à curiositate, ne velit sapere supra id, quod scriptum est, ne velit aliis præjudicare aut præscribere. Possunt necessaria & utilia discernere, & rejectis supervacuis & frivolis, in illis saltem morari. Breviter, ita moderari possunt agnitionem, ut ea

*ea semper doceant, nunquam no-
ceant.*

*M. Sufficit de cognitione. Dicebas
majorem etiam hinc adesse fiduciam in
voluntate.*

*P. Ita est. Non solum vident
hic aram, sed in ea quoque seiplos
offerunt & sacrificant.*

M. Quid hoc?

*P. Ex amore Christi volunta-
tem propriam abnegant, & se to-
tos voluntati divinae resignant, obe-
dientes futuri exemplo Christi, us-
que ad mortem parati sanguinem
fundere & vitam amittere propter
Christum. Et hanc abnegationem
ita moderantur, ut non in aliqui-
bus saltem, sed in omnibus sibi dif-
fidant, & Christo unice confidant.*

*Phil. IV. 13. Omnia possum in illo
qui me potentem facit Christo.*

*M. In hoc atrio fiebant crebriora
sacrificia.*

*P. Adest hic quoque abundan-
tior Charitas.*

*M. Quid autem est charitatis offi-
cium?*

P.

P. Charitas est regina virtutum, purgat, ordinat, & cum Prudentia conjuncta moderatur affectus. Deinceps virtutibus seu affectibus bene compositis urget & dirigit exercitium bonorum operum. Hic *potentia, dilectio, modestia* in animo conjunguntur. *Potentia* seu virtus adest, ut possimus bona facere. Charitas urget, ut faciamus. Prudentia moderatur, ut rectè & ordine justo faciamus.

M. Bene. Omnia enim in hoc atrio certo ordine disposita erant, mare a-
ueni super boves quadripartitos, abe-
ni super sellas, columna ad dextram,
& sinistram, imo omnia suo loco stabant.
Omnia quoque suo ordine fiebant. Po-
pulus offerebat, Levita preparabant,
Sacerdotes accendebant sacrificia.

P. Idem & hic dicere licet. Ti-
 rones offerunt animum promptum
 ad benefaciendum. Adolescentes
 præparant animum ad opera bona.
 Adulti animo per charitatem accen-
 so & per prudentiam moderato fa-
 ciunt

ciunt opera bona. Hic exercentur, illic formantur, isthic delinquantur virtutes Christi.

M. Unde hoc probas?

P. Considera exemplum Christi Salvatoris, cuius virtutes in pueritia crescebant, in adolescentia roborabantur, in ætate virili exercebantur. Non enim legimus, ipsam virtutes seu miracula edidisse, nisi annò tricesimo ætatis, postquam Ministerium suum ingressus esset. Considera & hoc: Eph. II. 10. *Ipsius enim factura sumus CREATI in Christo Iesu in operibus bonis, ad quos PRÆPARAVIT Deus, ut in illis AMBULEMUS.* In utro primo reparatur, in secundo præparatur ad bona opera, in tertio ambulamus in bonis operibus. Non ergo potest bona opera bene facere, nisi qui prius ad ea reparatus & præparatus est in Christo. Unde facile quoque constat, quod ex bonis operibus non salvemur, quia ad ea præparamur.

M.

M. Succurrit mihi illud Salvatoris Marci. IX. 49. omnis igne salietur.

P. Bene. Ad omnia enim opera bona, ut bene seu decenti ordine fiant, requiritur ignis charitatis, & Sal prudentiæ.

M. Jam labet audire de spe.

P. Et illa hæc quoque plenior est. Rom. XV. 13. Adfunt enim duæ columnæ, quarum altera sustentat, altera dirigit spem.

M. Quæ à sinistris stabat, vocabatur Boas.

P. Hæc denotare potest constantiam, quæ animus sustentatur in spe.

M. Quare sic, cum Boas derivari posse videatur à contemptu?

P. Bene. Animus enim constans contemnit minas, per patientiam contemnit blanditias mundi; per abstinenciam contra utramque tentationem perstat immobilis in spe vitæ æternæ. (na sprevit. Alii in robore, vel robur in eo, quod constantia

tia non male convenit. Robustius sit oportet, qui constans vult esse.)

M. *Columna habuerunt in verticibus sua coronamenta.*

P. *Ita constantia quoque coronat. Sis fidelis usque ad mortem & dabo Tibi coronam vite. Apoc II. 10.*

M. *Altera columna à dextris vocabatur Jachin, à dirigendo. (יָכִין) confirmabit, præparabit, diriget in eo robur.)*

P. *Notat prudentiam, quæ spem dirigit, ne erret, vacillet, aut plane deficiat. Hebr. X. 35, 36. Minime abjicite fiduciam Vestram, quæ magnam habebit mercedem. Patientia enim vobis necessaria est. Ut Voluntatem Dei facientes, recipiatis Evangelium.*

M. *Pendebant circa verticem columnarum malogranata, quæ vento flante procul dubio sonitum ediderunt.*

P. *Denotant hæc prudentiam vigilantem, quæ vento tentationum leviter flante facile excitatur & sibi ipsi attendit, ne amittat spem.*

M.

M. *Quare columnam constantia à sinistris , prudentia à dextris collocas ?*

P. Quia sinistra tenet , dextra dirigit opus. Quando constantia firmiter tenet rem promissam & speratam , prudentia quoque spem ipsam bene dirigere potest , ne circa speratam promissionem aberret vel deficiat. Nisi enim sinistra fortiter teneat , dextra frustra operatur.

M. *Sed quid istud Apoc. III. 12. Qui vincit illum faciam columnam in templo , alii : (populo) Dei mei & minime amplius exhibit. Potestne huc accommodari !*

P. Maximè. Qui enim constanter & prudenter pergit in sanctificatione , fundatur tandem in Christo , & tanquam columna ænea immobilis perstat , ut nullo turbine everti , aut à loco suo dimoveri queat. Ps. XV. 6. *Qui facit hoc ; non movebitur in æternum. Deus omnis gratia qui vocavit vos in æternam suam gloriam in Christo Jesu , paululum passos ipse instaurabit (Infantes)*
con-

*confortabit, reborabit (Adolescentes)
fundabit (Seniores.) I. Petr. V. 10.
14. Ipsi gloria & robur in secula se-
cularum. Amen.*

CAP. III.

De Beatitudine eorum.

MATH. PC. LXXXIV. 5. *Beati
qui habitant in domo tua in secula
seculorum laudabunt te. Ita ait Hiero-
nysus, forte de his in atria & affra.*

P. Maxime beati sunt.

M. Quare?

P. Quia laudant Deum.

*M. Sed qui laudant, gaudent. Ier.
V. 13. Ecquis est bono animo, psal-
lat.*

*P. Ita & nostri gaudent in Chri-
sto.*

*M. Daturne gaudium in hac que-
que vita?*

*P. Gaudium Gratiae, illic erit
gaudium Gloriae.*

M.

M. Sed quis lacrum gaudii his inter calamitates?

P. Maxime. Anne legisti Paulum & Silvam in carcere contentos? Act. XVI. 25.

M. Sed hoc ceteri forsitan non imitari sunt?

P. Quidem? Anne monet S. Paulus I. Thess. V. 16. *ubique gaudete*? Et ad Philippenses Româ & vincula scribens maxime urget hanc admonitionem: Phil. II. 17, 18. *Gaudete & una cum vobis omni- bus gaudete. Alibi & vos GAUDETE ac mecum gaudete* III. 1. *Ceterum, fratres mei, gaudete in Domino. Et quidem eadem Kobis scribere me non piget, vobis autem tutum est. id. IV. 4. Gaudete in Domino semper. iterum dico, gaudete. Et S. Petrus ait I. Pet. I. 8. quod credentes in Christum exultabunt. LAETITIA ineffabili & gloria*

M. Unde oritur hoc gaudium?

P. Ex fide, spe & Rom. XII. 12. ceteris bonis spiritualibus in ani-
mo

mo verè præsentibus & proficientibus. Phil. I. 25. *Superstes ero unâ cum vobis omnibus ad vestrum PRO-FECTUM & GAUDIUM fidei.* Ubi præcedit *profectus*, ibi sequitur *gaudium*. Ascendunt ergo proficientes ad hoc gaudium. Oritur quoque hoc gaudium ex voluntate tranquillâ & DEO resignatâ. *Non enim est regnum Dei cibis & potus, sed Justitia & pax, gaudium in Spiritu Sancto. Rom. XIV. 17.* Per studium *justitiæ* animus DEO resignatur, quia non sibi, sed DEO vivere vult, inde oritur *PAX*, Pax Christi mentem transcendens, seu vera tranquillitas animi. Ab hac porro ascenditur ad *gaudium*.

M. *Anne & inferiores quoque gaudent in templo?*

P. Gaudent quidem & exultant in Spiritu, sed aliquando saltem. Nostri vero *ubicunque* gaudent. Illi nonnunquam subito quasi rapiuntur ad gaudium, hi habitant in gaudio, sicut Sacerdotes in hoc atrio
ha-

habitabant in cameris suis & splendorem templi perpetuo videre poterant Ps. XXV. 13. *anima ejus in bonis demorabitur*. Extra templum qui sunt, transeuntes nonnunquam per transennam aspiciunt bona spiritualia, sed qui sunt in templo, habitant & commorantur in bonis illis, maxime, qui sunt in atrio tertio Ps. XXIV. 3. *Quis adscendet in montem Domini? aut quis STABIT in locô sanctô ejus? Innocens manibus & mundo corde*. Ceteri in templo *ascendunt*, hi *stant* in loco sancto, sunt enim præ ceteris innocentes manibus & puri corde. Sanctitas in intimis animæ penetralibus incipiens & crescens, diffundit se tandem ex animâ in corpus, & externa corporis membra, utpote manus, unde sicut anima primum, ita corpus deinde etiam fit templum & officina Spiritus S. qui membris externis utitur tanquam armis justitiæ. I. Cor. VI. 20. *Glorificate igitur Deum in corpore vestro*

Et in Spiritu vestro, quæ sunt Dei. Imo non solum stant, sed & manent, quoad vivunt, in loco hoc sancto, unde David ait: Ps. XXVII. 4. Unum petii a Domino, id requiram habitare in domo Domini per omnes dies vitæ. Videre voluptatem Domini.

M. Ergone hoc gaudium nunquam interrumpitur?

P. Interrumpitur quidem à carne nonnunquam, sed facile redintegratur. Phil. II. 27, 28. Dens miseratus est ejus, non solum autem ejus, veram etiam mei, ne tristitiam super tristitiam haberem. Festinantis ergo misi illum, ut illum videntes iterum gaudeatis, & ego sine tristitia sim. Vides Pauli gaudium per tristitiam interruptum, sed facile redintegratum.

M. Ergo nil amplius deest?

P. Adest gratia, deest Gloria. Neque in bonis gratiæ quicquam deesse vult piis benignissimus Deus noster. Psalm. LXXXIV. 13. Dominus

minus non privabit ambulantes in innocentia.

M. Sed ita nec crescere amplius opus habent, cum tamen antea dicebas, sanctos in gratia crescere usque ad beatam mortem, & tum domum sanctificationem plenè consummari?

P. Imò crescunt etiam in gaudio. Joh. XVI. 24. Accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. Annon legisti Salomonem circa templum tres porticus extruxisse, quibus ascendebant Sacerdotes Sanctuarium ingressuri, ubi omnia auro splendebant. Ita & nostri per gradus in gaudio ascendunt, quando à Salvatore Clementissimo ad osculum oris ad prægustum gloria vocantur & extolluntur. Hæc est letitia ineffabilis & glorificata.

M. Hoc modo sanctos plane in cælo collocas, cum adhuc vivant in terris.

P. Minime. An nescis, templum ipsum fuisse divisum in Sanctuarium extra chorum, in quod ascendebant Sacerdotes thurificaturi,

ri, & in sanctum sanctorum in Choro, ubi arca foederis cum Cherubim, Aulæo magno recta, quod nemo ingredi poterat, præter summum Pontificem quotannis semel. Ita etsi nostri in sanctuarium ad prægustum gloriæ quandoque admittantur, non tamen in sanctum sanctorum, in Gloriam ipsam, ubi jam habitat in coelis Salvator noster recipiuntur. Sed Salvator noster eos exhilaraturus illinc descendit, & animas eorum obviam sibi quasi factas assumit, Phil. III. II. *Si quomodo occurrat ad resurrectionem mortuorum.*

M. *Sed Sacerdotes alias semper in atrio & cellis suis commorabantur, sanctuarium non nisi raro & ordine exigente ingredientes.*

P. Ita & nostri raro ad prægustum gaudii Gloriæ admissi, contenti vivunt gaudio Gratiae.

M. *In templo legimus fuisse fenestras foris angustas, intus amplas, ut difficile esset introspicere, facile vero inde prospicere.*

P.

P. Quid hoc aliud denotat , quàm quod ait Spiritus S. Spiritua-
lis omnia judicat , ipse vero à ne-
mine judicatur. *I. Cor. II. 15.* Tam-
diu ergo coercendum esset omne
judicium , donec huc perducti esse-
mus. Hi enim soli recte judicant
de rebus Spiritualibus , & de statu
Ecclesiæ.

M. *Quomodo soli de statu Ecclesiæ?*

P. Cogita , quod è porticibus
circa sanctuarium tota templi facies
undique perlustrari potuerit. Ita
huc perducti *sancti poterunt compre-*
hendere longitudinem & latitudinem &
profunditatem & altitudinem , nempe
ædificii Spiritualis Ecclesiæ , Eph.
III. 18, 19. *Cognoscere cognitione ex-*
cellentiore amore Christi , quod
ceteri assequi nondum valent. Me-
rito ergo beati sunt , qui habitant
in Domo Domini. Benedictus sit
Dominus in secula !

CAP. IV.

De Defectibus & periculis eorum.

Matth. *Cum bona promptè facere & malos motus facile suppressere possint, qui habitant in hoc atrio, fortasse nil amplius delinquent.*

P. Manus habent promptas quidem & puras, sed quæ facile sordes contrahere & inquinari possunt à fonte peccati in carne obstructo. Ideo aderat in hoc atrio aqua valde copiosa ad abluendas ejusmodi sordes. Sanctissimi quique orare quotidie necessum habent: Dimitte nobis debita nostra.

M. *Sed puri cum sint corde, oportet quoque irreprehensibiles esse.*

P. Imò irreprehensibiles, sed coram hominibus, nondum penitus coram DEO, ad quam irreprehensibilitatem Col. I. 22. etiam tendendum est, & quidem maxime. Nos esse sanctos & irreprehensibiles CO-
RAM

RAM ILLO IN AMORE Eph. I. 4. contendite, ut reperiamini immaculati, & irreprehensibiles illi in pace, II. Petr. III. 14. Parum est inculpabilem esse coram oculis hominum, requiritur ut inculpabiles quoque fiamus coram oculis DEI, qui instar clarissimi solis minutissimas qualque defectuum nostrorum atomos videt, ad quam sinceritatem Dei II. Cor. I. 12. multo plura requiruntur, quam quæ vel fando vel cogitando assequi possumus. Nec sufficit in agnitione veritatis inculpabilem esse, requiritur ut in amore, in pace quoque irreprehensibiles reperiamur.

M. Dixisti antea, Vincentem fieri εὔλον seu columnam in templo DEI, Apoc. III. 12. & extra non amplius egressurum. Quid haec? Annon egrediuntur templum qui in atrio hoc habitant?

P. Egrediuntur, sed ad docendum, non ad deficiendum.

M. Ergone deficere amplius non possunt?

P. Difficulus, Tirones facillime, Proficientes facile, Adulti difficulter deficiunt. Et si contingat, eos deficere, & fieri acerrimos persecutores & blasphematores, Hebr. X. 29. *Crucifigentes sibi ipsis filium Dei & ignominia exponentes & Spiritum gratia exacerbantes.* Heb. VI. 4, 5. *Impossibile est eos ad poenitentiam renovari.*

M. Ergone nondum certi sunt salutis suae?

P. Ex parte DEI certi semper. Ipse enim est fidelis. Ex parte sui, certi sunt, quamdiu vigilant. Gestant enim thesaurum salutis, quamdiu in mundo degunt, in vasis fictilibus & fragilibus II. Cor. IV. 7.

M. Sunt tamen in domo Dei, sic certo sperant salutem.

P. Sin fiduciam & gloriam spei ad finem usque firmam retineamus. Heb. III. 6.

M. Siccine perdere possunt fidem & spem?

P. Cogita illud: *Quod si subtraxeris*

xerit se , haud placuerit anima mea.
 Heb. X. 38.

M. *Unde periculum subductionis?*

P. Primò inde, quod oculus prudentiæ facile nictare & pes patientiæ vacillare possit.

M. *Unde hoc?*

P. Anne legisti de virginibus prudentibus. Matth. XXV. 5. *Commorante sponso obdormiverant omnes & dormierunt.* Possunt ergo & prudentissimi quique dormire, & plane indormire, nisi excitentur. Unde monita aliorum non solent spernere. Deinde periculum est ex eo, quod interior homo nonnunquam soleat ægrotare, ut patet ex *imbecillitate* Pauli. Sicut autem ægrotus sensim convalescit, ita interior homo convalescens per gradus iterum ascendere necessum habet ad atrium suum. Jam si contingat ipsum subsistere, quid periculosius esse potest?

M. *Nunquid ex sanctificatis, sanctificandi fieri possunt?*

P. Quid hoc insolens? Anne Sacerdotes V. T. sanctificati iterum inquinabantur & templum ingressuri denuo sanctificandi erant? Præprimis considera quæ habet Ezechiel Propheta *Ezech. XLIV. 25, 26, 27.* de Sacerdotibus Templi nostri. Mystici: *Et ad mortuum hominem non ingredientur, sed saltem ad Patrem, ad matrem, & ad filium & filiam & ad fratrem & sororem suam, quæ præter unum maritum non habuerit, & postquam fuerit emundatus septem dies numerabuntur illi. Et in die introitus sui in portam interiorem ad sacra peragenda in sanctuario, offerat pro peccato suo, &c.* Scilicet Sacerdotibus non permissum est ullis aliis curis seculi de operibus mortuis se pollueri, nisi curis necessitatum domesticarum. Et quando animus obitu Patris, matris, vel cognatorum, vel aliis subitis casibus perturbatur & polluitur, sensim & gradatim repurgandus est, & inter purgandum septem dies numerabis

rabis ei. Revertens per *portam interiorem* ad atrium suum ante omnia afferre debet *propitiationem* scil. meriti Christi, & in eo petere remissionem peccatorum. Ita nimirum è statu sanctitatis nonnunquam abripi, & ad eum reverti possunt *seniores nostri.* Unde facile patet, eos, quamdiu hinc vivunt, securos esse non posse.

M. Sed quid timendum illis, qui *præ ceteris* majorem apud DEUM gratiam invenerunt?

P. Gratia DEI non plane tollit, sed clarius semper ostendit nobis infirmitates nostras, & vires corrigendi eas suppeditat. Ut igitur duces belli magis solliciti esse solent quam milites gregarii, ita hinc maxime timent, qui maximè vident imbecillitatem suam. Rom. XI. 20. *Noli altum sapere, sed time.*

CAP. V.

De Officiis eorum.

MAtth. *Quid ergo faciendum, ut spem ad finem usque certam & firmam retineant nostri?*

P. Vigilandum & ædificationi plebis sedulo incumbendum est. Negotiandum est donis concreditis, donec Dominus venerit rationem postulaturus.

M. *Quomodo ædificationi populi incumbent?*

P. Docendo, orando, profanos arcendo. Hoc nisi fecerint, peccabunt in Deum, in seipsos, in Ecclesiam. *I. Sam. XII. 23.* Hæc olim præcipua Sacerdotum in templo munia fuere.

M. *Quid docendum?*

P. Imprimis discrimen inter profanum & sanctum, purum & impurum, *Hezek. XLIV. 23.* pretiosum & vile *Jerem. XV. 19.* Ideo
enim

enim DEUS primo quibusdam saltem dat lumen suum, quia per illos deinceps alios vult illuminare. *II. Cor. IV. 4, 5, 6.* Unde sunt *Dei cooperatores. I. Cor. III. 9.*

M. Sed quomodo rudes capient sublimia ista?

P. Ideo demittere se debent & eorum captui accommodare. Anne observasti quid Sacerdotibus Templi Mystici injungatur: *Hezek. XLIV. 19. Et EGREDIENTES porta exteriori ad populum, EXUENT se vestibus suis, in quibus sacra peregerunt, & ponent eas in gazophylacis sanctuarii, & VESTIENT SE VESTIMENTIS ALIIS.* Jubentur descendere in atrium exterius ad populum. Quid hoc aliud est, quam demittere se? Jubentur exuere vestes, & reponere in cellis sanctorum. Quid hoc aliud est, quam linquere tantisper meditationes de rebus altioris indaginis, quibus utuntur inter sanctos pares. Jubentur induere alias vestes. Quid hoc

hoc aliud est, quam accommodare se captui populi? Ita Salvator optimus accommodavit se induens vestem Parabolicam locuturus ad populum, & nil sine similibus seu parabolis locutus est. Eadem veste Parabolica etiamnum utendum, & spiritualia ignota sub similibus notissimis & tritissimis inculcanda sunt, si velimus ea capi & intelligi. Qui enim dicit, quod nemo intelligit, quamvis ipse intelligat, nondum dixit. Qui vero ita dicit, ut auditor intelligere se fateatur, is demum dixisse putandus est. Sed & hujus vestis Parabolicæ puritas summo opere conservanda est, & in medio consistendum, ne, dum in gratiam rudium nos demittimus, ab irrisoribus conspurcetur, & rerum Spiritualium sanctitas & sublimitas ludibrio fiat. Decet *condolere ignorantibus & errantibus, Hebr. V. 2.* Ita vestibus his aliis utantur Nostri in docendo. Vestibus vero suis consuetis in orando.

M.

M. *Quare vero stolis suis prohibentur sanctificare seu informare populum?*

P. Quia populus nimio sanctitatis splendore absterritus facile desperare posset de incremento sanctitatis. Et eadem est causa, quod DEUS non angelis sed hominibus Ministerium verbi tradiderit. Quilibet enim currens ad præcursores non remotiores sed propinquiore potissimum respicit, quos currendo assequi se posse confidit. Sin diffidit, facile segnescit, vel cursum plane mutat.

M. *Cur jubentur in stolis sacra peragere?*

P. Quia coram hominibus, præcipue rudioribus facile, coram DEO nunquam nimis sancti esse possumus. Etsi coram hominibus immaculata & splendida sit vestis, coram DEO tamen nunquam est sine macula. Ideo nunquam adeo sancti sumus, quin sanctiores & devotiores coram Deo fieri possimus &

& debeamus. Præcipue in orando. Casta DEUS mense est, castâ vult mente vocari.

M. *Fortasse inde est, quod quidam malunt in stolis suis sacra peragere semper & orare, quam iis depositis ad populum descendere, ne scilicet in devotione suâ turbentur.*

P. Si viribus ad docendum instructi fuerint, minime placebit DEO, nolle negotiari talento suo. Sin viribus illis vel auditoribus destituti & præterea senio confecti fuerint, licebit pauxillum istud temporis, quod restat, inter preces pro Ecclesia transigere, Exemplo Hannæ, Luc. II. 37. *Non derelinquntis templum, sed jejunans & orans Deum colebat dies noctesque.*

M. *Sed dicebas eorum esse quoque, profanos arcere, quare hoc?*

P. Id omnino necessarium est, nisi voluerint à canibus & suis, quibus sanctum dederunt & margaritas projecerunt, conculcari & lacerari, unâ cum templo, quod

quod tristis experientia docet.

M. *Fortè hūc refers, quod scriptum est* : Zelum domus tuæ me voravit ?

P. Ita. Zelus enim si quis est in tironibus adhuc est carnalis. In adolescentibus adhuc est cæcus. In adultis vero nostris est maturus. Oritur enim ex sincero odio vitiorum. Temperatur charitate & commiseratione personarum. Dirigitur prudentiâ, ut fiat tempestivus, maturus & aptus ædificationi. Continendus ergo esset Zelus omnis, qui alias vocatur divinus seu Theologicus, donec accesserit Prudentia senilis, quæ discernere potest vitia & personas, observare tempus, modum, ceterasque circumstantias, & dirigere omnia *ad ædificationem*. Roma nondum matura, etsi nobilissima, ingratum habent saporem, matura quæque Palato grata. Ita in Senioribus nil magis gratum est DEO & piis, quam Zelus prudens & maturus, sicut in
Ju-

Junioribus valde displicet præmat-
 urus, qui quo vehementius irruit,
 eo gravius corrui.

C A P. VI.

*An omnes sancti huc usque pervenire
 possint?*

Matth. *An D E U S omnes san-
 ctos huc usque perducere velit,
 de eo valde dubito, cum notum sit,
 solos Sacerdotes R. T. in hac atriæ ha-
 bitasse.*

P. Sed cogitare debes, quod
 omnes pii N. T. sint Sacerdotes,
 & reges *Apoc. V. 10.* Ad regiam
 ergo & Sacerdotalem hanc sanctita-
 tem tendere omnes debent.

M. Sed ubi manet diversitas dono-
 rum & officiorum?

P. Ea quærenda est non tam
 in donis sanctificantibus, quam ad-
 ministrantibus: vel si in sanctifican-
 tibus, non tam in crescentibus,
 quam

quam adultis. Poma sunt diversa & varia, sed hæc varietas nonnisi postquam maturuerunt liquido apparet. Ita inter adultos sunt quidam, quibus data est *discretio Spirituum* seu qui possunt varietatem *Donorum* ostendere, quod non omnibus datum. Deinde & id observandum, quod non tam *Spiritus* seu *donum*, quam *manifestatio Spiritus* externa sit varia *I. Cor. XII. 7.* In omnibus piis N. T. unus idemque habitat Spiritus, sed aliter in hoc, aliter in illo exterius se manifestat. Varietas ergo donorum adhuc crescentium neque ab aliis, neque à nobis ipsis accurate observari potest, multo minus desiderium & studium proficiendi tollere debet. Unde enim constat tibi, quod plura dare nolit, plura desideranti & petenti?

M. *Sed si ea in terris obtineri possunt, qua tu dixisti de adultis, quid relinquitur in cœlis?*

P. Longe majora, longe excellen-

lentiora , quæ vel sanctissimi cujusque captum superant. Nondum enim gratiam omnem , nedum gloriam hîc capiet animus noster.

M. *Vix credibile est DEUM majora dare posse.*

P. Tune immensum divinæ bonitatis mare angustissimo animulæ tuæ vasculo exhauriri posse putas? Maxima pars eorum , quæ capimus , est minima pars eorum , quæ nondum capere possumus. Si credis Deum esse immensum , esse infinitum , esse majorem corde tuo , quare non credis DEUM facere & dare posse *superabundantius* quæ rogamus , vel intelligimus? Eph. III. 20. Anne credis DEUM pro bonitate suâ longe majora manifestaturum fuisse , si majora capere in hâc imbecillitate potuissemus? Relinquitur ergo quod omnia , quæ in verbo suo revelavit , capere , de futuris verò in cœlo reservatis vix umbram assequi possimus. Quæ occulta esse voluit , non sunt rimanda,

da, quæ revelavit, non sunt negligenda, ne in his damnabiliter ingrati, in illis illicitè inveniamur curiosi.

M. Id extra controversiam est. Sed hoc saltem quaritur, an omnes ad eam, quam in hoc atrio descripsisti, sanctitatem pervenire possint. Populus quidem hûc pervenit sacrificaturus, sed hîc non habitavit, ut Sacerdotes.

P. Nil hic requiro nisi habitum pietatis in discernendis bonis & malis, his fugiendis, illis faciendis, si hunc concedis omnibus, non contentus levissima dispositione, quâ multi jam contenti sunt, facile largior diversitatem habituum. Est enim & habitus adhuc qualitas recipiens magis & minus. Inter artifices videmus alios aliis promptiores & excellentiores, cum tamen omnes in arte suâ exercitati. Inter arbores bonas aliæ sunt aliis magis frugiferae, cum tamen omnes fructus maturos ferant. Non dimittam eum, donec introducam eum
in

in domum matris meae, in cubiculum matris meae, ait anima pia de Sponso Salvatore suo. *Cant. III. 4.* Habet mater Ecclesia domum seu templum, quod intrant pii cum Christo, habet & Cubicula seu cellas secretiores, in quas secedunt pii cum Christo, quos ille tanquam intimiores amicos admittit. Relinquenda ergo sunt ejusmodi cubicula in domo Ecclesiae matris, si non pro omnibus, saltem pro aliquibus, & non penitus tollenda vel exterminanda, quod faciunt, qui sanctitatem atrii intimi plane impossibilem esse putant.

M. Si possibilis est, quare non pluribus, sed paucis contingat.

P. Culpa non penes DEUM, sed penes ipsos est, qui eo tendere nolunt.

M. Sed fieri non potest, quin, qui eo tendunt, id faciant, quia cupiunt alios sanctitate antecire, quod est contra humilitatem, quae jubet non altum sapere, sed inferioribus se associare.

P.

P. Ita putant qui nondum intelligunt, quomodo cum ceteris dominis etiam vera humilitas crescat. Quod in sanctis putant esse arrogantiam & affectationem, id est desiderium & studium ulterius in sanctificatione pergendi, quo non cupiunt alios antecellere, sed sibi consulere, ne deficient. Non progredi est retrogredi. Quod in seipfis putant esse humilitatem, id est partim acedia, quæ non vult aspirare ad altiora, partim superbia, quæ sibi ipsi jam tum placet in donis suis, partim invidia, quæ meliores ferre non potest. Sunt ergo in suâ humilitate alium sapientes, ceteri vero in desiderio & studio sanctitatis sunt inferioribus se associantes.

M. Neque homo homine melior est coram DEO. Omnes in Adamo pariter depravati, in Christo pariter redempti. Unde miror, quod audias ejusmodi diversos sanctorum gradus extruere, cum omnes, qui credunt in Chri-

Christum cumque pro viribus concessis imitari student, in Christo pariter DEO placeant. Et qui hîc melius quid sibi fingant, non possunt singularitatis notam effugere.

P. Idem olim objiciebat Moyfi & Aaroni seditiosa cohors Core: *Numer. XVI. 3.* Satis esto vobis; Nam totus hic coetus, hi omnes sunt sancti & inter eos est Jehova, quare ergo effertis vos super congregationem Jehovæ? Eadem omnibus natura, quâ corrumpimur, Eadem omnibus gratia, quâ restauramur, sed in gratia hâc diversos esse gradus, quis negabit, cum omnes expectemus eandem gloriam, & tamen gradus gloriæ nemo difsiteatur. S. Paulus cum ceteris Apostolis Christianis seu sanctis *in genere* scribens ait: *gratia & pax*, S. Petrus ait: *gratia & pax multiplicetur.* Sed ad quosdam in specie. utp. ad Timoth. & Titum scribens addit *Misericordia.* Ita & S. Joh. ad Electam Domini-

nam:

nam: *gratia, misericordia & pax*, quo innui videtur, *gratiam & pacem* esse universalem & omnibus sanctis communem. Omnes enim per gratiam ad pacem seu tranquillitatem animi pervenire & in his donis crescere possunt & debent. Sed *misericordiam* esse specialem. DEUS enim in gratiâ suâ quorundam peculiariter miseretur, peculiare officium & peculiaris dona concedens, cujus rei, quare non omnibus ita misereatur, non tenetur rationem reddere. Quorum enim miseretur, eorum miseretur ex liberalitâ beneplacencia. Unde tales *misericordiam adepti* non putant se propterea meliores, se gratiores & diligentiores esse debere coram DEO. Cui enim plus commissum, ab eo plus reposcetur. Quis ergo vitio vertet talibus *honorem amantibus* Christo summo Evergetæ placere præ ceteris.

M. Sed ad Apostolorum sanctitatem aspirare annon stolidus eris arrogantia?

K

P.

P. Apostoli fuerunt homines nobis familia patientes. Quod hominibus olim dedit DEUS, id hominibus ipsum amplius dare nolle, unde constat. Dona extraordinaria, utpote miracula, infallibilem auctoritatem, & cetera ad Apostolorum & Ecclesiae plantationem necessaria merito illis solis & eorum temporibus relinquimus. Sed si nec in sanctificantibus ordinariis, ad salutem, vel administrantibus ad officium & Ecclesiae gubernationem nostris temporibus necessariis donis est assurgendum ad eorum exemplum, quare dixit S. Paulus: Estote mei imitatores; sicut ego Christi?

M. Si ipsorum Exemplo tendimus ad salutem, licet imitari. Sed si volumus fieri Lumen Ecclesiae, sine arrogantia & singularitate, eos non imitatur.

P. Imo id ab omnibus omnino Christianis requirit D. Paulus Phil. II. 14. *Ut sitis irreprehensibiles, in-*
cers

ceri filii Dei sine imputatione in multis nationis prave & perversæ inter illos lucetis sicut lumina in tenebris.

M. Hoc fuit olim inter Ethnicos, Ubi jam sunt Ethnici in Ecclesia?

P. Vides vitam communem & invenies homines Ethnicis peiores. Inter hos tamen mundi esse velle, quare arrogans sit, non video. Imo arrogantes & simul pigri sunt, qui eò non tendunt, qui lucem vident, & in tenebris ambulare malunt quam in luce, vel qui malunt inter græculos præsidere, quam aquilis assidere. De luminibus seu Columnis Ecclesiæ id notandum, quod non raro sint sibi aliiquid videntes Gal. IV. 6. Aliud est coram DEO esse, aliud coram mundo videri. Multi sunt, & non videntur, multi videntur & non sunt. Deus auctoritatem hominis non respicit.

M. Nonnumquam video quomodo sine arrogantia id fieri possit.

P. Quis ingreditur militiam sine

spe ulterioris promotionis? Quis eos, qui in Chiliarchos seu Duces evadere cupiunt, arrogantes vocat? Vocantur quidem, sed ab illis qui in coeno pigritiæ & sordidæ ignobilitatis manere, quam ad altiora aspirare malunt; Ceteri laudant. Quis intrat Scholam in imis subsellis semper mansurus? Quis non laudat discipulos proficientes & ulterius semper pergere cupientes, etsi vituperentur à sordidis & solidis compotatoribus & pigris sociis, nemo non sanus tamen laudat eorum diligentiam. Et in Scholâ Spiritus S. ubi est gratia ΔΕΙΠΑΙΔΕΥΣΑ seu erudiens, in Gymnasio Spiritus S. ubi hæc regula valet; I. Tim. IV. 7. *Exerce te metipsum ad Pietatem.* Non licebit ad altiora aspirare sine arrogantia & notâ Pharisæici tumoris? Siccine quod in humanis laudatur tanquam generositas & diligentia, in Sacris vituperandum ceu singularitas & arrogantia? Si in omnibus studiis valet tritum

tum istud: Plus ultra; quare non in sacris, & præprimis in studio sanctitatis, sine quâ nemo videbit Dominum? Scilicet voluptatibus, divitiis, honoribus, scientiis, nunquam satis impleri potest animus terrenus. At in sanctitate facile timet turpissimum istud: Ne quid nimis. Nempe quid juvat ad ea dona tendere, quæ in mundo non laudem, sed ignominiam conciliant?

M. Tu adeo urges sanctitatem. An nescis quid Lutherus passim contra sanctitatem sui temporis docuerit? Quoties dixerit: malo pescator, quam sanctus esse?

P. Lutherus disputavit contra sanctitatem externam, eamque solam sine sanctitate internâ, sine agnitione peccati originalis & vivâ fide Hypocriticam vocavit & verè. Nobis jam disputandum contra profanos utraque sanctitate, tam externâ morum, quam internâ fidei & charitatis carentes. Vid. Luth.

Tom. VI. Witt. p. m. 430. Sancti sunt peccatores, sed DEO, non aliis. Neque enim peccando, sed resipiscendo & sanctè vivendo aliis exemplum præbent. Aliàs quid absurdus, quam peccata confiteri & corrigere nolle? Unde moderna profanitas & dissoluta licentia vivendi, nisi inde, quod postulemus à vulgo peccatorum confessionem superficialiariam, Emendationem vero, veram cordis sanctitatem & puritatem non urgemus?

M. Concedo sanctitatem urgendam, sed unde probas gradus sanctitatis urgendos? Quare sic distinguis, cum nomen sancti in Christo placeant DEO?

P. Quis nescit, milites ab imis ad summa promoveri? Nemo repente fit summus. Quis ignorat Mechanicorum & artificum tirocinia & profectus? Tiro non statim est Magister, fieri tamen cupit, ideo discit artem. Quis nescit classes in Scholis distinctas? Et in Scholâ sanctitatis non erunt classes di-

distinctæ? Si tamen adhuc dubitas de tribus nostris gradibus sanctitatis distinctis, considera S. Johannem distinguentem *filias, adolescentes, Patres*; S. Paulum distinguentem *Episcopos, Diaconos, omnes Sanctos in Christo Jesu Phil. I. 1.* S. Petrum distinguentem *I. Petr. V. 1. 3. 5. Seniores, juniores, Clerum* non solum ratione officii & ætatis, sed & sanctitatis. *Seniores* Ecclesiæ olim non tam ætate & autoritate officii, quam sanctitate vitæ typicâ præceteris conspicui erant. Locus non ipsos, sed ipsi locum ornabant. Non ergo à mente Spiritus S. in Scripturis abludit templum nostrum Salomonis cum atriis. Hoc ipso enim sicut status gratiæ Novi Testamenti adumbrari potest, ita eodem & insuper tota urbe Jerusalem statum gloriæ in vitâ æterna ex Ezechiele *Ezech. XLVHI.* adumbravit S. Johannes in Apocalypsi suâ. *Apocal. XXI. & XXII.* Templum igitur, quod antea fuit in rerum *naturâ,*

jam est in *Gratiâ*, olim erit in *Gloriâ*. Antea stetit in *iis*, *quæ super terram sunt* oculis corporis visibile. Jam stat in *iis*, *quæ in cælis sunt*, oculis animi visibile. In his enim animam cum Christo vivificatam, excitatamque sedere facit DEUS. *Civitas vestra est in Cælis. Eph. II. 5, 6. Phil. III. 20.* Ideo anima cum cogitationibus & desideriis habitat & conversatur in loco Spirituali, proximo cœlesti. Olim stabit in *cælis* nullis neque corporis neque animi oculis jam visibile. Ut illic in templo naturæ pii V. T. adumbratum videbant & expectabant templum Gratiæ, & postea Gloriæ, *I. Petr. I. 10.* ita jam in templo Gratiæ N. T. adumbratum videmus & expectamus templum Gloriæ. Illic *Prophetia & attenta expectatio* Gratiæ, Hic Gloriæ, *Rom. VIII. 19. 23. Phil. I. 20.* in domo Gratiæ expectamus domum Gloriæ, *in redemptione animæ redemptionem corporis.*

M.

M. *Quid hoc ad distinctos gradus?*

P. Legistine: *In domo Patris mei sunt multa mansiones?* Joh. XIV. 2, 3. Scilicet discipuli conquiri poterant: Ubi manebimus, te discedente? Respondet ergo Jesus: Manebitis in domo Patris mei, in Ecclesia, ubi multæ sunt mansiones. Et hoc nisi ita esset, consolarer vos his verbis, scilicet, me præcessurum, & mansionem vobis præparaturum esse. Et licet quoque præcedam, sc. è domo Gratia in domum Gloria, licet præparaturus sim vobis mansionem, sc. in domo Gloria, hoc tamen vos solabitur, quod sim reversurus die extremo, & vos recepturus ad me, ut, ubi ego, ibi & vos sitis.

M. *Quid inde elicis?*

P. Quia multæ mansiones in domo Gratia, distincti erunt gradus sanctorum, sicut & in templi atriis multæ erant cellæ. In his manendum, sed ad tempus saltem, donec discamus, quæ tibi discenda DEUS

proponit. Deinde ascendendum ad altiora, quousque scilicet Dominus nos perducere velit, donec ex hâc domo Gratiæ per mortem beatam in alteram domum Gloriæ transferre nos voluerit. Ibi revera sunt mansiones. Hic perpetuæ ascensiones.

M. *Sed si contingat sanctos in infimis cellis mori, antequam ad supremos ascendant, annon de eorum salute dubitandum?*

P. Minime. Beate moriuntur, quando moriuntur in domo DEI, & sunt, de quibus vere dicitur: Sap. IK. 13. Cito perfectus factus est. Sed non beate vivunt, quamdiu ascendendo pergere nolunt; Non enim habemus hîc *manentem civitatem*, sed futuram quærimus Heb. XIII. 14. Qui non semper ambulat & quærit quamdiu hîc vivit, non perveniet ad civitatem gloriæ. Qui vero semper ambulat & ascendit, quo propius hîc in Gratiâ, eò propius illic in Gloriâ Christo habitabit. Eò igitur tendendum, ut in domo

dōmo gratiæ Christo proxime adhabitemus.

M. *Quis hoc poterit?*

P. Qui animum curis seculi semper vacuum habuerit & conservaverit.

M. *Ubi hos jam reperiēs?*

P. Fuere olim *sine uxore & curis* quoad *mundana*. Illorum statum approbavit S. Paulus, *ad commodum, ad decorum & aptam adhaerescētiā ad Dominum sine ulla abstractione*. Illi ergo potuerē affidere, adhabitare, adhærere Christo indivulsè, quia nullis seculi curis sunt distracti. Nostri temporibus omnium risui & ludibrio exponuntur, qui *sine uxore & curis* esse, & omnibus curis & recreationibus seculi se penitus abdicare volunt, & negatur quemquam animo indivulso Christo adhærere posse. Sed quam verè negetur non video. Licet enim non omnes capiant verbum hoc, tamen de aliquibus non esset negandum. Licet rara sit ejusmodi continentia & castra-

tio propter regnum cœlorum , nondum tamen propterea plane nulla est. Adeone decurtata est manus Domini , ut donum hoc nemini prorsus dare amplius possit aut velit? sed hæc non ideo afferro , quasi ab omnibus requiram , sed ut eò fortius ostendam , non impossibile esse eam , quam in atrio nostro intimo urgemus , cordis puritatem , sanctitatem & pietatis habitum I. Thess. V. 23. *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos* **TOTOS PERFECTE, & INTEGER** Spiritus & anima & corpus irreprehensibilia serventur in adventu Domini Nostri Jesu Christi, ut sitis **PERFECTI ET INTEGRI** in nullâ re deficientes. Jac. I. 4. Hebr. XIII. 21. *Instauret vos in omni opere bono ad faciendam voluntatem suam faciens in vobis beneplacitum coram se per Jesum Christum. Cui sit gloria in secula seculorum. Amen.*

EPILOGUS

D E

TEMPLO SALOMONIS.

M Atth. *Vidimus templum anima fidelis. Videamus etiam paulisper templum Ecclesie in toto mundo olim ab Apostolis adificatum, in quo multa domicilia Dei in Spiritu. Eph. II. 22. olim splendide extructa. jam diruta vel alio translata. Quid sentis de hoc templo?*

P. Est *Mysterium*, est articulus fidei, de quo nemo quicquam recte sentire potest, nisi quatenus ipsi datum est, nosse *Mysteria Regni coelorum*.

M. *Undo Mysterium?*

P. Confer, quæ scripsit S. Paulus ad Ephesios de *Mysterio Evangelico*, Ecclesia Christi, è Judæis

K 7

&

& gentibus collecta. *Eph. II. 22. III. 3. 4. 6. 18. K. 32.*

M. *Unde articulus fidei?*

P. Annon dicis in Symbolo : Credo in Spiritum S. Credo Ecclesiam Sanctam Catholicam, communionem Sanctorum? Quæ credimus, non videmus.

M. *Quare hac urges?*

P. Contra eos, qui templum visibile volunt, & cupiunt digito demonstrarier: Hoc est; cum tamen regnum DEI non veniat cum observatione, neque dici possit: *Eccleste, en, illinc*, est enim intra vos. *Luc. XVII. 20, 21.*

M. *Sed qui vult associare se Ecclesie, debet nosse prius & videre eam.*

P. Crede, & cognosces. Pete Spiritum S. & fidem, Zelum Spirituale, & videbis Ecclesiam. Ubi enim est Spiritus S. ibi est Ecclesia Sancta & Catholica, quia omnes pii omnium locorum & temporum unum eundemque habuerunt
&

& habent Spiritum fidei & chari-
 tatis, qui omnia in omnibus ope-
 ratur, & Ecclesiam regit. Disce
 ergo recte cognoscere Ecclesiam.
 Qualis rex, talis regia. Rex est
 Spiritus S. ergo regia seu templum
 Spirituale sit oportet: Spiritualia
 non possunt oculis corporeis cer-
 ni, vel sensibus externis compre-
 hendi. Vides Ecclesias in mundo,
 sed an Sanctæ sint, videre non po-
 test, nisi ipse verè sanctificeris à
 Spiritu Sancto. Ecclesia est com-
 munitas Sanctorum, consortium a-
 nimarum in Mundo sanctarum,
 quæ unâ fide pariter ad Deum e-
 levatæ, corporibus in toto mundo
 dispersi, uno eodemque aguntur
 Spiritu. Ita S. Apostoli describunt
 templum hoc seu ædificium Spiri-
 tuale. Lapis angularis est Chri-
 stus. Huic proxime superstructi
 sunt Prophetæ & Apostoli. His
 superædificati sunt ex altero latere
 Judæi omnium temporum fideles,
 ex altero Gentes, quæ hætenus in
 Chri-

Christum verè crediderunt. Fidelibus & sanctis seculi primi super-ædificati sunt sancti seculi secundi, his, qui fuere in seculo tertio, quarto, & sic consequenter ad nostra usque tempora. His omnibus superstruuntur, qui jam supersunt ubivis locorum pii, donec penitus extracto & omnibus numeris absoluto hoc templo Gratiae, incipiat templum Gloriæ in alterâ vitâ. Vides igitur totum hoc ædificium Spirituale sustentari à Christo, gubernari & consummari à Spiritu Sancto, qui omnes omnium temporum pios tanquam lapides vivos præparavit, congregavit, Christo superstruxit, combinavit, & templum hûc usque perduxit, idem ulterius ad finem perducet. Est enim summus architectus, qui operâ ministrorum utitur quidem, sed ipse omnia pro arbitrio suo, non Ministrorum, circa ædificationem templi moderatur & dirigit. *Omnia operatur in*

nno

Anno & eodem Spiritu , I. Cor. XII. 11.
Ministri ædificant modo in hoc ,
modò in isto latere. Sed Spiritus
spirat ubi vult.

M. Quare hæc arges?

P. Contra eos, qui putant Ec-
clesiam perinde, ut politiam, Au-
toritate & sapientiâ humanâ regen-
dam esse ; Cum tamen quantum
coelum à terrâ, tantum cogitatio-
nes humanæ à divinis sæpe distent!

M. Ergone omnis autoritas huma-
na tanquam noxia excludenda est ab
Ecclesiâ DEI.

P. Imo prodest autoritas huma-
na, si dirigat ritus externos, ut
omnia fiant *decenter & secundum
ordinem*. Ordo hîc & disciplina ex-
terna parit & auget in animo re-
verentiam Majestatis divinæ & re-
rum Spiritualium. Et quoniam
ordo hic, & externa, quæ olim
fuit, disciplina, jam fere negligi-
tur, non mirum est, profanitatem
& impietatem indies crescere. Sed
quantum prodest in externo cultu
au-

autoritas humana, tantum nocet
in interna fidei & charitatis.

M. Unde hoc?

P. Quia non raro suppressit Spiritum, & omnem ipsi libertatem adimit, cum tamen fides non possit nec debeat cogi.

M. Quomodo cogit Autoritas humana?

P. Obtrudendo, & eos qui non protinus recipiunt, damnando. Spiritus S. liberaliter educat gratiâ suâ pios, & facit filios DEO sponte obediens. Autoritas humana serviliter tractat discipulos suos, & facit mancipia alieni ingenii.

M. Unde hoc patet?

P. Quia ne minimam quidem contradictionis & dissensûs umbram ferre potest, sed quicquid cum opinionibus suis non convenit, protinus damnat. Spiritus S. fert contradicentes, & cum mansuetudine opposcentes erudit. Spiritus S. vult solum textum sacrum, sola verba Scripturæ, Autoritas vero humana

mana vult sua interpretamenta adorari.

M. Sed si omnibus libertas sentiendi concedenda est, quomodo conservabitur doctrina puritas?

P. Ea verò minimè periclitabitur, quamdiu superest Scriptura Sacra, quamdiu supersunt, qui eam debitâ diligentia & humilitate servantur & sanctè vivunt. Illis haut difficile erit profanum à sacro, stipulas ab auro discernere, & non patientur sibi quidvis persuaderi. Si circa conservationem doctrinæ puræ, quæ principaliter Spiritui S. convenit, decenter & utiliter versari vult autoritas humana, formula sit, non Domina fidei. Commendat solum textum sacrum, & efficaciam verbi divini. Manuducat incipientes lectores, quomodo Scripturæ Sacræ utiliter legendæ, quomodo vivendum sit lectoribus & studiosis verbi divini. Cætera summo magistro Spiritui S. committat. Nisi enim intus sit, qui do-

doceat, in vanum lingua docentis laborat. Sed caveat autoritas humana, ne faciat lectores sui potius quam Christi studiosos. II. Cor. IV. 5. *Non enim nosmet ipsos predicamus, sed Christum Jesum Dominum.* Ne cupiat lectores sua potius quam ipsius Christi verba admirari. Hoc enim modo facillime abducuntur à verbo DEI animi humani ad humana proclives & novitatis avidi. Ne putet sine operâ suâ Spiritum S. Ecclesiam regere non posse. Hoc si putaverit, præceps erit in judicando & damnando, temeraria in definiendo, audax in præscribendo, quæ non præscripsit Spiritus S., atque sic efferet se supra autoritatem Spiritus S. & Scripturæ Sacræ, & fidem cogere, ac conscientii dominari cupiet, quod, quam sit iniquum & Ecclesiæ noxium, in propatulo est.

M. Siccine absque autoritate humana Spiritus S. Ecclesiam regere potest?

P.

P. Quidni? Ubi est autoritas humana, quando Ecclesia est in deserto?

M. *Quonam in statu jam esse putas templum DEI?*

P. Id dicere nondum possum. Infinita est Sapientia Spiritus S. inenarrabilis, incomprehensibilis, quâ regit Ecclesiam Magnus Dominus noster, & magna virtus ejus, & sapientiæ ejus non est numerus. *Psalm. CXLVII. 5.* Quantum tamen mihi comprehendere datum est, consentio cum iis, qui censent, nos vivere temporibus Anti-Christi manifestati, & templi sub captivitate Babylonica devastati reædificationem inceptam quidem, negligentius tamen continuari, ut patet *Esd. III. 8. IV. 4. 5. 24.* Ubi recensetur, quod templi secundi fundatio cum gaudio facta, sed ædificatio impedita sit. Sic quanta seculo præterito fuit lætitia lumine Evangelii denuo exorto, tanta jam est negligentia.

M.

M. *Unde hac?*

P. Olim erant viri strenue urgentes opus in domo Domini. *Esd. III. 8.* jam sunt, qui timent potentiam filiorum mundi & facile impedi se patiuntur *IV. 23, 24.* Isti enim sunt, qui prohibent in brachio & robore. Et hi, quando timent brachium & robur, intermittitur opus domus Domini in Jerusalem.

M. *Quid his consilii?*

P. Fortior perrempenda sunt omnia obstacula & impedimenta. Unusquisque nostrum, cui per DEI gratiam contigit lumen Evangelii, incipiat suo loco & tempore urgere & continuare opus Domini in aedificatione templi, ut olim Haggai & Zacharia Prophetae monuere, & sic oculus Domini veniet super senes Judaeorum, & nemo poterit eos inhibere. *V. 5.* Deus enim jubens fortior est, quam mundus impediens.

M. *Quomodo aedificentur templum?*

P.

P. Lapidēs primo præparantur, deinde combinantur. Præparantur per agnitionem veritatis, combinantur per exercitium charitatis. Præparandi, quia male ædificat, qui aptare vult quadrata rotundis. Combinandi, quia licet lapides præparati sint, quamdiu separati jacent, structuram templi non promovent. Lapidibus igitur eô, quô antea de templo animæ fidelis diximus modo, præparatis, facilis est combinatio per charitatem, quæ est *combinatio perfectionis* Coloss. III. 14. Charitas enim incipit animare lapides præparatos, ut fiant *lapides viventes*, sponte semetipsos offerentes & sine ulla difficultate aptantes ad structuram templi, unde legimus in prima ædificatione & extruptione templi, lapidibus perfectis allatis nullum malleum, nullam securam, nullum ferramentum esse auditum, I. Reg. VI. 7. scilicet, quæ ex charitate fiunt, sponte & placide fiunt. Præcipuus itaque & primus

mus labor fuerit circa præparationem lapidum.

M. Quid putas circa præparationem notandum esse?

P. Primo sunt excindendi, dein formandi. Excindendi sunt à Saxo seu Petrâ Mundi, nisi enim animus abstrahatur à pravis Mundi consortiis, frustra audit doctrinam Catechetica. Sincerum est nisi vas, quodcunque infundis, acescit. Nisi prius evomuerit animus Sapientiam humanam, divinam utiliter imbibere non potest. Israelitæ prius ex Ægypto egressi in deserto deinceps accipiebant legem, quam in Ægypto audituri & intellecturi non fuissent. Sic animus mundo immersus non capit simpli-
eissimam doctrinæ Catecheticae partem. Cæcus Bethsaidanus à Salvatore primo educebatur vico, dein sanabatur & sensim recipiebat vitam. Sic tantum videmus in Spiritualibus, quantum morimur huic Seculo.

M.

M. *Hoc jam tum in baptismo factum est , ibi avulsi à Mundo valediximus Satanae ejusque operibus , & addiximus nos Christo.*

P. Bene. Sed per educationem negligentio- rem , per licentiam nimiam , matrem omnis nequitiae , per prava sodalitia , animus rursus agglutinatus est Mundo , de- nuo avellendus , si rite formari ve- lit doctrinâ coelesti. Corruptunt bonos mores colloquia prava. Quae nisi vitentur , frustra laborat for- mator.

M. *Sed quis hominum potest ani- mum alterius à Mundo avellere ?*

P. Legimus de Christo , ipsum tanquam lapidem sine manu à mon- te revulsum esse. Ita Christi disci- puli tanquam lapides *non manu* , i. e. vi & coactione humanâ , sed *Spi- ritu Spontaneo* à mundo abstrahun- tur. Requiritur interim manus pe- rita & laboriosa Latomi , quam di- rigit Spiritus S. tanquam organon suum , & fortunat ictus , ut lapis

L

tan-

tandem excindatur. Spiritus S. est, qui lapides avellit & format. Ministri parati saltem sunt, accommodare manum, & successum non suæ Sapientiæ adscribant, sed Sapientiæ Spiritus S. relinquunt.

M. *Quid circa formationem lapidum norandum?*

P. Formandi sunt studio diligenti publice & privatim.

M. *Quare non sufficit formatio, quæ fit in Lapidecinis publicis?*

P. Quia instrumenta formantia ibi saltem ostenduntur, non applicantur. Nec applicari satis possunt, quia singuli lapides singulatim sunt formandi. Talis sedulus formator fuit S. Paulus, *Actor. XX. 20. 31.* qui docuit publice & in ædibus. Omnes in genere & unusquisque in specie. *I. Thess. II. 11.* Ita formandi sunt adhortationibus publicis, & colloquiis familiaribus & privatis.

M. *Quare colloquitur privatis? Sufficit publice dixisse. Qui vult capere, capiat.*

P.

P. Minimè. Per colloquia prava maxime jam corrumpit Diabolus, per Colloquia pia & familiaria maxime erudiendi sunt homines, *ne seduantur à Satana. II. Cor. II. 10.* Deinde *formandi sunt studio accurato.* Levissimum in lapidibus quadratis tuberculum impedit combinationem & structuram. Ergo minima quævis peccata sunt corrigenda.

M. *Sed odiosum est semper & omnia corrigere.*

P. Quid tum? Debemus nos commendare non hominum auribus, loquendo placentia, sed hominum conscientiis, manifestando veritatem. Porro formandi sunt *studio prudenti.* Asperitas major consuetudo inveterata majorem requirit diligentiam in corrigendo, quam asperitas minor seu *levia munda.* Qui hoc non observant, sæpe sunt *dilatantes pulvrem, camelum autem degluti- entes. Matth. XXIII. 24.* Denique formandi sunt *studio indefesso.*

M. *Quare sic?*

P. Molestissimus est labor saxa perfringere, lapides excindere, ferram diffindere, & præparare ad usum. Multi duritie offensi, molestiæ perterriti, laborem impatienter continuant, vel abeuntes relinquunt. Nemo facile huic labori manum admovet, nisi quem vis humana cogit, vel spes lucri allicit. Sic non minoris molestiæ labor est, corda hominum lapidea doctrina Catecheticâ formare. Quædam adeo dura sunt, ut formationem omnem respuant. Quædam molliora facilius quidem formantur, sed facilius quoque vitiantur à communi salutis hoste. Sed quicquid sit, quoscunque Divina voluntas ad hunc laborem elegit & vocavit, eos oportet omnes molestias devorare, lapides sibi commissos fideliter formare, quoties accesserit, normam verbi divini adhibere, juxta eam inæqualiora corrigere, correctâ & rursum vitiata *in pristinum rectum*
sta-

statum redigere, asperiora lævigare, lævigata polire & exornare, & sic indefinenter laborare. Semper erunt deficientia implenda, semper supererunt corrigenda, quoties lapides inspexerint. Et si nil super fuerit, pulvis abstergendus est à lapidibus perfectis, & ad alios imperfectiores pergendum. Non perficietis civitates Israel donec Dominus venerit.

M. Quare sic formandi sunt lapides studio diligenti, accurato, prudenti, indefesso?

P. Ut apti fiant ædificationi. Lapidēs rudes inepti sunt. Anne legisti, cum ædificaretur templum Salomonis, lapides allatos esse perfectos? Id innuit S. Paulus dicens: Col. I. 28. Admonentes omnes homines & docentes omnes in omni sapientia, ut fectamus omnes homines PERFECTOS in Christo Jesu. Lapidēs plane non, vel male præparati nulli usui sunt Spiritui S. in ædificatione templi.

L. 3.

M.

M. Sed quis hominum potest animum alterius ita præparare?

P. Faciendum, quantum nobis efficere datur. Discendum primo est, quomodo Spiritus S. lapides præparatos esse velit, & id, ut eo melius sciamus, ipsi prius simus præparati, antequam alios præparemus. Deinde cum id didicerimus, diligenter & indefinenter in lapidicinis seu officinis Spiritus S. laborandum est, visitandi lapides sunt, corrigenda ea, quæ in oculos nostros incurrunt, seriis precibus commendandi sunt lapides Spiritui Sancto, qui cetera perficiet, nobis insciis. Ipse enim est, qui manus nostras formantes dirigit, ita ut simus ipsius cooperarii, qui labores nostros secundat, imo qui interius ipse format & animat, ut fiant lapides vivi, culturam patienter admittentes, ad combinationem sponte aptantes sese, Imo ipse est, qui tandem in structura templi unumquemque lapidem præparatum suo loco.

loco convenienter reponere novit. Cogitandum itaque est Spiritum S. in præparatione lapidum Summum esse Magistrum, nos id saltem, quod est minimum, ipsum verò id, quod est maximum, efficere, sc. incrementum dare. Qui hæc non cogitat, malè præparat, nempe pro arbitrio suo humano, non pro arbitrio Spiritus Sancti. Unde videmus his temporibus in mundo multos lapides jacere, qui videntur præparati, habent *formam* exteriorem, sed carent animâ fidei charitatis, sunt mortui non vivi lapides, ideo non possunt combinari. In templo, quâ parte visibile est, videntur quidem locum suum replevere, quem ipsi occupârunt, non à Spiritu S. eò positi. Sed in structurâ templi invisibilis & Spirituâlis nullius sunt usus. Non enim convenit lapidibus vivis cum mortuis. Et hoc templum vivis lapidibus extructum simile est rotis Ezechielis, non uni loco in Mundo.

alligatum, sed facile transportatile. Adest enim in templo Spiritus vivus, quô quiescente, quiescit, movente, movere se totum templum cum omnibus lapidibus suis vivis. *Ezech. X. 17.* Et hinc est, cum filii hujus seculi id ferre nolunt, quod facillimo negotio in desertum transportari possit, ubi non videtur, & tamen adest in mundo. Gubernatori & Consummatori templi nostri, Spiritui S. sit laus & honor in secula!

M. Locuti jam sumus de Templo, quid proderit?

P. Forsan proderit ad probationem, an finis intra vel extra templum, vel si intra, ad excitationem, ut pergamus in studio sanctitatis. Bonus enim non est, qui quotidie non fit melior. Vel ad demonstrationem, quod articulo secundo de redemptione conjungi debeat articulus tertius de sanctificatione, qui hodie, si non excluditur à Symbolo nostro, tamen negligitur ferè in vitâ communi.

M.

M. *Quibus proderit?*

P. Non sordidis *tabernis*, ubi sunt, qui parum solliciti de damno Joseph, aliorum sollicitudinem rident, & arrogantiae vel novae doctrinae, vel alius erroris aut vitii accusant. Non delicatis *palatiis*, ubi sunt, qui excitationem conscientiae ægre ferunt, & quod ipsi facere nolunt, impossibile censent, ne alios id facientes diligentiores & meliores se esse fateri cogantur. Non superbis *turribus*, quibus nisi quod ipsae faciunt, rectum videtur. Sed iis, qui viâ humili incedunt, doctrinam Catechetica[m] amant, monita aliorum non aspernantur, plura in verbo DEI discere & in vera pietate & sanctitate cordis in dies proficere cupiunt. His vel minimam ulterius de verâ pietate & ædificatione templi meditandi ansam subministrare, maximum est operæ pretium. His servire urget Charitas, I. Petr. IV. 10. *Quilibet pro accepto suo donò alter*

L. 5.

al-

230 EPILOGUS DE

*alteri inserviando sicut boni dispensato-
res multivaria gratia Dei. Si aliis
non prodest, nobis ipsis certo pro-
derit, quem in finem potissimum
locuti sumus. DEO omnis gratiæ
& misericordiæ, qui nos creavit,
creatos & fraude Diaboli corruptos
redemit, Redemptos sanctificare,
sanctificatos glorificare cupit, Pa-
tri, Filio & Spiritui Sancto sit laus,
benedictio, Sapientia, Potentia,
Majestas, Honor, Gloria in Secu-
lorum Secula, Amen!*

F I N I S



ORDO RERUM.

PROLOGUS.

- N** Os vivere sub N. T. pag. 15
2. Majorem sanctitatem
sub N. T. quam sub
V. T. requirere Deum. 17
3. Possibilitas in Sanctitate pergendi. 25
4. Per gradus pergendum. 27

PARS I.

De iis, qui sunt extrà Templum.

CAP. I. *De iis, qui remote extrà.*
Sunt diversi. 30. 31.

CAP. II. *Qui propinquè extrà.*

1. Mulieres Salomonis Extraneæ. 33
2. Proceres & Cives contemnentes. 35
3. Sanctiores Olim Christiani. 36
4. Cives Negligentes & diversi. 38

ORDO RERUM.

CAP. III. *Quid sit ingredi.*

- | | |
|-------------------------------|-----|
| 1. Horum Paucitas. | 43. |
| 2. Redire ad Cognitionem Sui. | 44. |
| 3. Dei. | 45. |

CAP. IV. *Quomodo.*

- | | |
|---|-----|
| 1. Per pias Meditationes Verbi Divini. | 46. |
| 2. Quales Meditationes Gentilium Sapientum. | 48. |
| 3. Quorundam Nostratium. | 51. |
| 4. Meditatio sit seria, simplex. | 52. |
| 5. Constans. | 53. |

CAP. V. *Quid cavendum.*

- | | |
|-----------------------------|-------|
| 1. Turres humanæ Sapientiæ. | 54. |
| 2. Ejus Vanitas. | 56. |
| 3. Tabernæ Profanitatis. | 58. |
| 4. Adhortatio. | 60. |
| 5. Votum. | ibid. |

PARS

ORDO RERUM.

PARS II.

De iis, qui sunt in atriô primô scil.
Infantibus & Incipientibus in
Christô.

CAP. I. *De statu eorum, quid AD-
SIT respectu illorum, qui sunt fo-
ras, & DESIT respectu illorum,
qui sunt intus.*

1. Adest	1. Fides vera:	65
	2. Bonum propositum.	65
	3. Sincerus Amor Justitiæ:	68
	4. Spirit. S inhabitans.	71
	5. Beatitudo.	77
2. Deest	1. Incrementum.	72
	2. Firmitas.	73

CAP. II. *De Luctâ & Infirmitatibus
illorum.*

1.	Contra appetitus Carnis:	80
2.	Succumbunt ex ignorantia.	85
3.	non malitiâ.	87
4.	Pugnare debent, ut vincant.	89
5.	Explicatio exempli Christi templum purgantis.	92
6.	Sanantis cæcum & claudum.	ibid.

ORDO RERUM.

CAP. III. *De tediô & alijs periculis & impedimentis eorum.*

1. Tædium luctæ 1. Ex teneritudine a-
nimi. 96
2. Ex molestiâ luctæ. ibid.
3. Ex portis templi
ad interiora clau-
sis, ad superiora
apertis. 100
2. Induciæ periculosæ. 94
3. Perdurandum. 95
4. Exemplô Jesus. 98

CAP. IV. *An hoc in atriô omninò sub- sistendum?*

1. Minimè. 103
2. Exceptiones quædam. 105

CAP. V. *Quomodò ad interius per- gendum.*

1. Examine sui. 112
2. Oratione. 115
3. Votò. 118

PARS

ORDO RERUM

PARS III.

De iis, qui sunt in atmô secundô,
seu Adolescentibus in Christô.

CAP. *De statu eorum, respectu Inferiorum & Superiorum.*

- Adest 1. [†] Oculus Fidei clarior. 120
2. Animus in Christô robustior. 122
3. Vincunt. 126
4. Vitiis expulsis succedunt Virtutes. 129

CAP. II. *De Beatitudine Eorum.*

- Adest 1. Major Fiducia. 131
2. Major Charitas. 133
3. Major Tranquillitas. 136
4. Major Attentio in precibus. 137

CAP. III. *De Defectibus, Impedimentis & periculis Eorum.*

1. Spiritus inquinamenta. 139
2. Phantasie evagatio circa
1. Agnitionem. 142
2. Charitatem. 143
3. Cursus in bonis operibus inæqualis. 147

C A P.

ORDO RERUM

CAP. IV. *De Impedimentis & periculis aliis.*

1. Nimia sollicitudo Futuri. 149
2. Pericula circa animi Tranquillitatem. 151
3. Evagatio circa preces. 153

CAP. V. *De Adminiculis pergendi.* Admonitio Fraternalis. 157

CAP. VI. *De Adminiculis aliis.*

1. Sedulitas sive Charitas Operosa. 164
2. Vigilantia. 167
3. Votum. 171

PARS IV.

De iis, qui sunt in atriô tertiô seu
Adultioribus in Christô.

CAP. I. *De statu Eorum in genere.*

1. Atrium est
 1. Bonum. 173
 2. Sanctum. ib.
 3. Admirabile. 175
2. Major Spiritus libertas. 176
- Prudentia. 178

CAP.

ORDO RERUM.

CAP. II. *De statu Eorum in specie.*

Dona Majora Gratiae in

- | | |
|---------------|-----|
| 1. Fide. | 181 |
| 2. Charitate. | 184 |
| 3. Spe. | 187 |

CAP. III. *De Beatitudine Eorum.*

Habitant in gaudiô. 191

CAP. IV. *De Defectibus & periculis Eorum.*

- | | |
|---|-----|
| 1. Non penitus irreprehensibiles coram Deo. | 198 |
| 2. Oculus Prudentiae nictans. | 201 |
| 3. Interior homo ægrotans. | 202 |

CAP. V. *De Officiis Eorum.*

Incumbunt ædificationi

- | | |
|----------------------|-----|
| 1. Docendo. | 204 |
| 2. Orando. | 207 |
| 3. Profanos arcendo. | 208 |

CAP. VI. *An omnes Sancti hucusque pervenire queant.*

Exceptiones Variæ.	210
Habitus Pietatis Diversi.	213
Votum.	215

EPILO

EPILOGUS.

- Ecclesia** 1. Creditur non videtur. 230
2. Regitur Spir. S. 231
3. Non autoritate Humanâ. 233
4. Ejus reædificatio incoëpta
jam impedita. 237
5. Quomodo ædificetur. 239
6. Lapidum præparatio, 240

F I N I S.



CATALOGUS LIBRORUM

Aliquot Mysticorum, qui in Bibliotheca Wettsteniano possunt.

Epiphanii Opera Omnia Fol. 2. vol. Gr. Lat.

Dionysii Areopagitæ Opera Gr. Lat. Fol. 2. vol.

Clementis Alexandrini Opera Gr. Lat. Fol.

Cypriani Opera Fol.

Iustini Martyris Opera Fol. Gr. Lat.

Origenes Gr. Lat. Fol. 2 vol.

Irenæi Opera Fol.

Bernardi Opera Fol.

Rusbrochii (Joh.) Opera omnia Fol.

Bonæ (Joh.) Opera omnia Fol.

Brigitte (Sanctæ) Revelationes Cœlestes Fol.

Revelationes SS. Virginum Hildegardis & Elisabethæ Fol.

Harphii (Henr.) Theologia Mystica 4.

Sufonis (Henr.) Opera 8.

de Palma (Hugo) Theologia Mystica 12.

Lauspergii (Joh. Iust.) Opera omnia 4.

Thauleri (Joh.) Opera omnia 4.

Savanarolæ (Hieron.) Vita & Epistolæ 12. 2. vol.

Weyeri (Matth.) Praxis Theologiæ Mysticæ 12.

Jo. à Cruce Opera Mystica 4.

Sandæi (Max.) Theologia Mystica 4.

Thom. à Jesu de Contemplatione & oratione di-

divina 8. 2. vol.
 Rosweydii Vitæ Patrum Fol.
 Minutius Felix 8.
 Lactantii Opera 8.
 Augustini Confessiones 12.
 Scipuli (Laur.) pugna Spiritualis 12.
 Desiderius Peregrinus, sive Thesaurus animæ Christianæ 18.
 Hugonis (Herm.) Pia Desideria 12.
 Francisci Assisiatis Opuscula 4.
 Justiniani (Laur.) Opera omnia Fol.
 S. Macarii homiliæ. 8.
 Barbançon (Constant.) Compendium veræ
 Theologiæ mysticæ, sive Semitæ occultæ,
 amoris divini. 12.

G A L L I C I.

Alph. Rodriguez de la perfection Chrestienne.
 12. 3. vol.
 Bernieres Louvigny Chrestien Interieur 12.
 2. vol.
 - - - Oeuvres Spirituelles 12.
 Entretiens Solitaires de Breboeuf 12.
 Combat Spirituel 24.
 Oeuvres de St. François de Sales Fol.
 Oeuvres d'Anthoinette Bourignon 8. 191
 vol.
 Oeuvres de S. Therese 12. 3. vol.
 Theologie de l'Amour ou la vie & les œuvres
 de St. Catherine de Genes 12.
 Theologie de la Croix ou la vie & les œuvres
 d'Angele de Foligny 12.

Theo.

Theologie du Cœur ou Recueil de quelques
traitez , qui contiennent les lumieres les
plus divines des Ames simples & pures
12.

Vies des SS. Peres du desert par d'Andilly.

4.

Vie de Mr. de Renti. 12.

Vie & Opuscles de S. Pierre d'Alcantara.
12.

Pratique facile pour elever l'ame à la con-
templation divine par Malaval. 12.

Vie & Oeuvres de S. Gertrude. 8.

Maximes des Saints sur la vie interieure , avec
l'instruction pastorale de l'Archevêque de
Cambrai. 12.

Vie & Oeuvres de Jennede Cambry. 4.

Moyen court & tres-facile pour apprendre à
faire Oraison. 12.

Le Catechisme Spirituel du R. P. Surin. 12.

La Guide Spirituelle de M. de Molinos, ou
Recueil du Quietisme. 12.

Et plusieurs autres.

[illegible]

the 1990s, the number of people in the world who are undernourished has declined from 1.1 billion to 800 million. The number of people who are malnourished has declined from 1.5 billion to 1 billion. The number of people who are obese has increased from 100 million to 300 million. The number of people who are overweight has increased from 100 million to 300 million. The number of people who are obese and overweight has increased from 100 million to 300 million. The number of people who are obese and overweight has increased from 100 million to 300 million.



